

CASTI
GATIONES PLV-
rimorum ex Terētio lo
corū, & in his obiter
quidā explicati, per
Io. *Riuium At-*
thendorien-
ſem.



Cum Indice.

Coloniæ excudebat Io. Gy-
mnicus An. M.D.XXXII.
Menſe Nouembri.

IO. RIVIVS

ATTHENDORIENSIS D. IVLIO

Pflugk Præpoſito Cizen.

S D.

Quoties mecum ipſe repeto et mēte reuoluo IVLI, typographorum hodie quorundam, inſcitiā dicam an impudentiam? qui quū autores edant uel iniuria temporum et librariorum incuria, uel ſua neglegentia deprauatiſſimos: libenter tamen faciunt, ut recognitos ab ſe euulgari glorientur: Toties principum Germaniæ ſocordiam, aut uerius (ut modeſtiſſime dicam) lentitudinē demirari ſubit, qui non iſtā libros excudentium dignam flagris ignorantiam et temeritatem pro iure ſuo coërcendam curent: Qua factum hodie uideas, ut eximios quoſq; & ſummæ notæ ſcriptores adeo habeamus corruptos, adeo miſere paſſim fœdeq; contaminatos. Ac cæteros quidem ut omittam, quoties proximis annis, quæſo, P. Terentium nobis typographi obtruſere, reſtitutum (ſi dijs placet) et à mendis, quibus ſcatuerit, repurgatū? quum res ipſa clamitet, parum ab iſtis adhibitum curæ, parum laboris exhauſtū, quô corruptæ innumeris fermè locis Terentij comœdiæ paulò tandem emēdatiores in manus hominū peruenirent. Ego uero, quū oīs linguæ Romanæ proprietas, doctiſſimi cuiuſque teſtimonio, è Terē-

tio tanquam fonte emanet, isq; corruptiſſimus circunferatur: gratum me ſtudioſis facturum rebar, ſi in eo omneis induſtriæ meæ neruos contenderem, quô emendatior, atque ante hâc, in publicũ optimus latinitatis autor exiret. Et me hercle magnopere mihi nec mediocri diligentia elaborandum intellego, ne temere ac nõ exploratis antè uiribus ad tãti autoris recognitionẽ, rem planè difficillimam adgreſſus uideri poſſim. Multis igitur collatis uetuſtiſſimis codicibus, partim quidẽ excuſis, partim calamo ante inuentam Chalcographiã deſcriptis: collata & Aelij Donati lectione, & cæterorum autorum tum citatione tum interpretatione, maxima ubiq; adhibita cura (quoad licuit) exactiſſimoq; iudicio: quo uno penè magis, quàm ingenio hac in re opus fuit, Terentij recognoſcendi onus, in ſtudioſiorũ gratiã utilitatemq; ſuſcepi. In quo ubi corruptũ quid offendi, aut mendæ porrò ſuſpectum, nihil temere immutaui, nihil ſuſtuli, ex me denique nihil contra fidem uetuſtæ lectionis addidi (quod plerosq; feciſſe, quum ſit nihil impudentius, quis non aut miretur iure aut indignetur?) ac niſi certiſſimis indicijs ductus, corruptã potius, ut erat, lectionem reliqui. Nec ingenij uſpiam diuinationem, ſed exemplariũ antiquiſſimorum, haud abſque iudicio, ſequutus ſum fidem. Nec enim in reſtituendis ueterum monumentis ingenio, cuius non ſemper feliciter cedit coniectura, temere indulgẽdum reor. Ex uaria lectione ea demũ, quæ ſimul & cũ Donati adnotamẽtis, optimorumq; autorũ citatiõe atq; enar

ratiõe

ratione conſentire, & ad metri rationem quàm aptiſſimè quadrare, & Poëtæ denique ſenſui & loco accommodatiſſima eſſe uidebantur, elegi. Fieri tamen poſſe haud negem, uti alius quiſpiam multa etiam in Terentio, quæ me uel nimis interdum feſtinantem, uel tot diſtentū negocijs, tot curis diſtrictum fefellerint, deprahendat, quandoquidem (ut ille ait) Εἷς ἀνὴρ οὐ πάνθ᾽ ὁρᾷ. *Et quidem in ſpem ueneramus iampridem fore, uti ex doctis uel ingenio aliquis excellētiore, quàm nos, acrioriq; iudicio præditus: uel antiquorum ſpectatæq; fidei uoluminū copia inſtructior: aut uerò otio maiore abundans, hanc reſtituendi Terentij prouinciā ſuſciperet: præſertim quum uir eruditiſſimus, & (ut Comicus ait) quantiuis pretij Philippus Melāchthon iam olim ſcripſerit eſſe, qui Poëtæ huius emēdationem molirentur. Sed quum eiuſce rei expectatione compluſculis annis diutius, ac par fuit, ſuſpenſi ſimus: neque uſq; hactenus prodierit Terētius, qua oportuit fide curaq; recognitus: uiſum eſt nobis (omni præciſa ſpe) locos aliquot in hoc poëta utcunque à nobis reſtitutos, quum in ſtudioſæ iuuentutis commodū, tum ut idem in certamen alios uocaremus, in lucem dare: hortātibus huc & alijs plæriſque, & cum primis ornatiſſimo uiro utriuſq; noſtrum ſtudioſiſſimo Io. Næuio, philoſopho ac medico inſigni. Qua in caſtigatione tamē etiā ſi quid errauerim, aliquis haud iniuria (opinor) conniuendum eſſe arbitrari poſſit: quod quidem ego non modò non poſtulo, ſed cōtrà ſtudioſos omneis et oro et obteſtor,*

ut recognitionem noſtram quàm maximè intentis ocu lis (ut aiunt) acerrimè introſpiciant, ſi quid uſpiam for tè occurrat, quod emendandum putent & à nobis re- tractandum. Quem laborem meum tibi dicare uiſum eſt, uir et doctrina et gentis nobilitate clariſſi me, ut aliquod exſtet obſeruantiæ erga te meæ beneuolentiæque monumen- tum. Dabuntur olim, ſi hæc pla cuiſſe cognoro, et meliora, et tua ſingulari in omni ge nere laudis præſtan- tia excellētiaq; di gniora. Vale, ex Anneber go. Idibus Decēb. Anno à reſtituta ſalute M D XXXI.

CASTIGA-
TIONES PLVRIMORVM EX *Terentio locorum, & in his obiter quidam explicati, per Iohannem Riuium Atthendorienſem.*

CVM PRODIISSET *anno abhinc ferè ſeptimo Terẽtius, doctiſſimi uiri Philippi Melanchthonis opera diligentiaq; reſtitutus, unà cum argumẽtis eiuſdem & adnotatiunculis: nõ mehercle dici poteſt, quantum hoc nomine ſtatim gratulandum ſtudioſis omnibus exiſtimarim: idq; iure adeo ac meritò. Videbã enim fore breui, ut optimus latinitatis autor, qui innumeris antè mendis ſcatebat, nunc paulò caſtigatior maiori cum uoluptate, atque adeo maiore cum fructu, quàm antea, à ludimagiſtris pueritiæ prælegeretur. Quæ adeo non fefellit coniectura, ut diſtractis magno bibliopolarũ commodo exemplaribus, rurſus excudi cœptus ſit Vuitenbergæ: Mox à Io. Secerio Haganoæ: Poſt etiam Noribergæ: Præterea apud Coloniã Agrippinã, ab Euchario primũ Ceruicorno: Interim à Io. Sotere: Tertiò deniq; à Io. Gymnico uiro optimo, et mihi uetere neceſſitudine cõiunctiſſimo: Adhæc Mogũtiæ aliquoties & Argẽtorati: ut de cæteris taceam. Interim quum ipſe quoq; eũ autorem ſtudioſis quibuſdam enarrãdum ſuſcepiſſem,*

 ſenſi

ſenſi tandem,id quod erat, Melanchthonem grauioribus rebus occupatum,utq; ipſe pro ſua modeſtia ingenuè fatetur, ueteribus exemplis haud ſatis inſtructũ, non ab omnibus omnino mendis (abſit inuidia dicto) Comici noſtri fabulas uindicare potuiſſe. Et iã per totam propè Germaniã nulla facilè præter Philippi exemplaria probabantur,aut manibus ſtudioſæ iuuẽtutis terebantur: Id eximia uiri autoritas effecerit,an ipſa res atque utilitas extorſerit,nihil habeo dicere. Quæ nos quidem res primum mouit,ut perquiſitis antiquis exemplaribus & manuſcriptis et impreſsis, locos plurimos deprauatos, quos ille inemendatos reliquerat, corrigere conaremur. Quid noſtra diligentia conſequuti ſimus,aliorum eſto iudicium. Hoc certè iure adfirmare poſſe uideor,ex impreſsis nullũ uſpiam exſtare hodie exemplar, quo in exemplari plures loci correcti ſint,quàm in eo,quod nos aliquãdo in publicũ daturi ſumus. Id ita eſſe quum res(ut puto) teſtabitur,tũ editio olim noſtra,ſi cum alijs conferatur. Etenim ui ſumma iampridem atque omni ope, et plus demum quàm pro uirili parte,uti omnium ante nos recognitionem uinceremus,adnitendũ mihi exiſtimaui. Interim locos plurimos à nobis, quãta licuit,quum fide & religione,tum diligentia,ſtudio,labore caſtigatos, priſtinoq;(ut opinor) nitori integritatique redditos publicabimus: et quidem nullo maiore uerborum apparatu: quãdoquidẽ(ut ille canit) ornari res ipſa negat, contenta doceri. Quòd ſi laude merita,qui unum alte

rũmue

rumuc in autore quopiam illuſtrant aut reſtituunt lo- cum, non fraudantur, quur non ipſe quoque ſperem non nullam me à ſtudioſis gratiam initurum? qui tot in Te rentio locos, fortaſſe non inepte prorſus, diligẽter qui dem & magna cura certè ab omnibus mendis uitijsq́; repurgarim. Tametſi haud ſanè diſsimulauero, hærere ipſum me plærisq́; in locis, & quædam, de quibus pa rum adhuc liqueat, ampliare, & quid in his potiſsimũ ſequar, haúddũ exploratum ſatis habere, in tanta præ ſertim exemplarium antiquorum quum diſſenſiõe & diſcrepantia, tum monſtroſa alicubi etiam deprauatione: ut ſuis locis etiam oſtendemus: Quod quur tan dem me fateri ingenue pudeat? Par eſt autẽ, quod publicæ à nobis ſtudioſorum utilitati datur, id quale etiã cunq; boni conſulere. Præſtet alius quiuis, quantũ nos, nec dubitem omni aſſeueratione confirmare, parum adeo fore, quod in Terentio quis deſiderare habeat. Variam interdum ex ueterum autorum citationibus, & antiquorum inter ſe codicum repugnantia, lectio nem indicaui: ita demum, quid mihi uideatur, conjectu ris ſubditis oſtendens, liberum ut tamen lectori iudi- ciũ ſemper relinquã. Qua in re mihi nihil fuit potius, quàm ut Donati, ubicunque liceret, fidem ſequerer, interpretis undecunq; doctiſsimi: ab eoq́; ne tranſuer ſum quidem (ut aiunt) digitum diſcederem: ſed citra ſu perſtitionem tamen, & cum iudicio ſemper. Cæterum quum plærosq́; fore ſuſpicemur, qui, quòd carminis ra tionem ignorent, uix aptè ſatis his de rebus iudicare

queant: uiſum eſt ſubijcere nonnulla hic, quæ uelut ianuam patefaciant, & uiã (ut dicitur) præmuniant imperitioribus: quô certius de recognitione noſtra iudicium facere & ſententiã ferre poßint. Igitur Comici *Plautus & Terentius metro ferè utuntur, uel Iambico, uel trochaico, uel utroq; ſimul confuſo.* Iambicum *uel Monometrum eſt, quod duobus pedibus ſimplicibus conſtat. uel Dimetrũ, quod quatuor: uel Trimetrũ, quod ſex: qui & ſenarij dicuntur M. Tullio & F. Quintiliano: uel Tetrametrũ, quod octo, qui et Quadrati appellantur & Octonarij. Ex hiſce Trimetro Comici & Tetrametro maximè utuntur: alijs raro, et in medio ferè (ſicuti Priſcianus adnotauit) diſtinctionis cauſa. Quod ad pedes attinet Iãbici, magna libertate Comici indifferenter ubiuis ponunt, iambũ, tribrachyn, anapæſtum, dactylum, ſpondeũ: In fine plærunq; aut iambũ aut pyrrichium, nunq̃ niſi in Scazonte ſpõdeum. Vtitur Terentius ſæpe in iãbico, pede quatuor ſyllabarum breuium proceleuſmatico, idq́; per reſolutionem ſpondei. ut in Andria: Mala mens malus animus, quem quidem ego ſi ſenſero: Hîc ſecundo loco eſt proceleuſmaticus. in eadem, Tibi generum firmum, & filiæ inuenies uirum: Hîc prima regione idem pes. Eſt autem duplex iambici genus: alterum rectum perfectumq́; uocatur, alterũ σκάζον καὶ χωλίαμβον: cuius penultimam in fine longam eſſe oportet. Vtriuſque meminit Ouidius, quum canit: Liber in aduerſos hoſtes ſtringatur Iambus, Seu celer, extremum ſeu trahat ille pedem*

[Margin notes: Metra, quibus Comici utũtur. — Pedes Iambi carminis. — Proceleuſmaticus. — Duplex Iambici genus.]

le pedem. Vtitur identidem Poeta Iambico Tetrame-tro Catalectico, id eſt, cui ſyllaba in fine deſit: Quo in Catalectico ſibi inter alia hoc quoque permittit, ut pro penultima longa haud rarò duas breues ponat, quod facilè, qui uerſus in ſuos pedes digerere uolet, ſic habere comperiet. In Trochaicis Comici indiſcretè interdum dactylos, uel ſpondeos, uel trochæos ponunt, nimirum quô penè diſſoluta & pedeſtri ſimillima eſſe uideatur perſonarum ſermocinatio: cuius ipſe Priſcianus meminit, apud quem Victorinus non minus libere quàm uerè ait Comicos, dum cotidianum ſermonem imitari nituntur, metra uiciare ſtudio non imperitia: quod & Terentianus teſtatur hiſce uerſibus, Fidemq; fictis dum procurant fabulis. In metra peccant arte non inſcitia. Tanta autem affinitas eſt inter Trochaicos & Iambicos Tetrametros, uix ut diſcernere interdum poſſis. unde nimirum fit aliquoties, ut quos forte aliquis Iambicos eſſe crediderit, iidem Trochaici uerius cenſeri queant, cuius rei quum alia multa exempla ſunt, tum commodiſſimum fuerit ex Andria ſcena prima actus quinti: ubi duos primos uerſus, uel per Iambos aliquis, uel per trochæos metiri poſſit, niſi quòd inſequentes uerſus per Trochæos eſſe metiendos indicant. Inde error eorum, qui Quadratos eſſe adnotarant, quum quiuis non rudiſſimus planè harum rerum Trochaicos eſſe uideat. Hîc illud obiter quamuis leue admonendũ puto. Mirè interdum Poeta de induſtria ſententiã genere ipſo metri iuua-

Trochaici pedes.

Adfinitas inter Trochaicos & iambicos tetrametros.

Poetã interdũ de induſtria ſententiam genere ipſo metri iuuare.

*iuuare uidetur. uelut ibi: Dij boni quid porto? Sed
ubi inueniam Pamphilum? ut metum in quo nunc eſt
adimã, atq; expleam animum gaudio &c. Vbi Tro-
chaici carminis curſu & uolubilitate feſtinationem
repræſentat ſeruuli inſolenter exultantis, & alacrita
te nimia geſtiẽtis. Quocirca paßim Trochæos, tribra
chos, anapæſtos admiſcuit: pedes ſcilicet, quibus celeri
tas plærunq; à cæteris itẽ poetis exprimi ſolet. Simili
ter in Eunucho ſubitum egreſſum puellæ perturbatæ
celeritate ipſa pedum expreßit. ubi Phædria: Sed quid
hoc eſt (inqt) q̃ timida ſubito egreditur Pythias? Hoc
dedita opera Poetã ita feciſſe, uel illud indicio fuerit,
q̃ quum cæteri huius ſcenæ uerſus iãbici ſint, unus hic
trimeter trochaicus eẽ uideatur. Et alióqui ſolet inter
dum Poeta mutare metri genus, quum uentum eſt ad
παρασκευὴν ſcenæ ſequẽtis. uelut in And. act. I. Sc. IIII.
& rurſus act. III. Sc. IIII. Iterũ act. IIII. Sc. I. In Hecy
ra act. III. Sc. III. Præterea in Phormiõe act. II. Sc. II.
Sic aliàs ſæpe. Tale illud quoq; ex Adelphis: Cæteros
ruerẽ, agerẽ, raperẽ, tunderẽ, & proſternerem. Cui
eſt aliquod aurium iudicium, is facile ſentiet, quur ſit
Poeta trochaico uſus hoc loco: nimirũ ut ſenſum quo-
dam uelut curſu pedum citorũ iuuaret: quod & prin
cipem poetarum Vergiliũ ſæpe factitaſſe cõſtat. Nam
ut tarditatẽ rei difficultatemq; exprimere quum uult,
crebris ſpõdeis: ita quũ celeritatẽ & uelut impetũ &
feſtinationẽ, dactylis frequẽtibus utitur. Prior is exẽ-
plũ illud eſt ex III. Aen. Annixi torquent ſpumas &*

cœru-

cærula uerrũt. Poſterioris illud ex IIII. Idẽ oẽs ſimul
ardor habet, rapiũtq́; ruuntq́;, Littora deſeruere. etc.
Sed nimis multa, de re præſertim leui: Obſeruabit hæc
aliaq́; id genus per ſe ipſe lector ſtudioſus. Illud non
ignorandũ, Comicos s literã cõſonantẽ haud ſecus eli S interdum
dere ſolitos, ac ſi uocalis eſſet, idq́; frequẽtiſſimè: quod eliditur.
& Ennium in Heroicis & uetuſtiſſimos quoſq; facere
conſueuiſſe, ut & Vergiliũ interim, docti adnotarunt.
uelut in And. Herus me relictis rebus iuſſit Pamphilũ:
Hîc prima regione anapæſtus eſt, s eliſo. In Eunucho:
Iugularas hoĩem. quid ille? Th. mutus ilico: Hîc in uer-
bo iugularas s eliditur. ut ſit ſecundo loco anapæſtus,
tertio iambus. Niſi quis dicere auſit pronomen ille, ue
lut ablato altero l corripi, more imitatiõeq́; Græcorũ:
quod (ut ego ſentio) paulo fuerit coactius. Quamuis
apud hoſce fateor alterã nonnunq̃ de geminatis cõſo-
nantibus in uerſu tolli κατὰ παρέλλειψιν, quô ſyllaba παρέλλειψις
poſitu lõga corripi queat. Et ſolent latini in multis (ut figura.
diligenter adnotauit Priſcianus) initiũ aliquod accipiẽ
tes à Græcis, ab anguſto in effuſum licentiæ ſpacium
hoc dilatare. Sed hoc ſuæ cuiuſq́; cõiecturæ relinquo.
Illud quidem non eſt ut inficiari queam, uideri inter-
dum l elidi apud Comicum noſtrũ, quoties adeſt pro- L interdũ eli
nomen ille. ut in Eu. Manendum eſt ſoli ſine illa, quid di uidetur.
tũ poſtea? In Heauton. Nec tibi ille eſt credere auſus,
quæ eſt æquom patri. In Adel. Quid is fecit? De. quid
ille fecerit? quem neq; pudet. In. Hec. Non tibi illud fa
ctum minus placet quàm mihi Lache. In Phor. Ille qui

illam

illam amabat fidicinam, tantummodo &c. Sunt id genus ſexcenta apud Terentium. *Fuiſſe autem quum non geminaretur l in hoc pronomine, uideor ex Sex. Pompeio deprehendiſſe lib.* I. παρελλειψις *contraria figura eſt* διπλασιασμός, *qua ipſa frequenter Poeta utitur ad producendam ſyllabam alióqui breuem. ut in Adelphis relliquum pro reliquum, & alibi rettuli, reppéri, atq; id genus alia. Sed pergamus.* V *quoque conſonantem Comici perinde ac uocalem in media dictione elidunt, quod apud* Terentium *in dictionibus inuidia & enimuero fieri uidemus, apud quẽ ipſum cuius, huius, eius ſimilesq; particulæ monoſyllaba ferè ſunt: quod ita demum frequens eſt, ut non putem de eo ſubijcienda exempla. Illud præterea ſæpenumero uſu uenit, ut prima uerſus ſequentis, qui à uocali incipiat, ab ultima ſuperioris abſorbeatur. uelut in illo,* Ex græcis bonis latinas fecit non bonas, *ubi ex abſorbetur ab aduerbio malè, quo uerſus præcedens clauditur.* Et *in* Prologo Hecyræ, Ego *interea meum non potui tutari locũ, prior ſyllaba in pronomine ego pertinet ad uerſum ſuperiorem. Contrà apud* Vergilium *ultima præcedentis initio quandoq; inſequentis abſorbetur. quale eſt:* Ecce *furens animis aderat* Tyrinthius, *omnẽq; Acceſſum luſtrans, cuiuſmodi uerſus* ὑπέρμετροι *dicuntur, ſicuti præter alios* Diomedes *oſtendit.* Qua*lis ille etiam, apud* TERENTIVM *in Andria, Tuus pater modo me prǽhendit, ait tibi uxorem dare* Ho*die, item alia multa &c. Sic enim ex obſeruatione antiquorum*

[Margin notes: Διπλασιασμός. — V conſonãs in media dictiõe eliſa. — Hypermetri uerſus apud Terentium.]

tiquorum codicum legimus, nec ſecus DONATVS, *ut quidē & Romana habet & Veneta editio, conſentiē tibus & alijs quibuſdā. Hic igitur illud ſe in fine prio ris, abſorberi neceſſe eſt initio ſequentis, quod aliâs ſit apud eundem. Sunt autem uerſus* Trochaici, *et qui uolet metiri, ſic planè habere comperiet. Talis eſt il le ex* Hecyra; *Diſiunxit illum ab illa; poſtquam & ipſe ſeſe. Et illam, & hanc quæ domi erat cognouit ſa tis. Tales etiam apud Plautum ſæpe occurrunt, uelut in Aulularia, Cenſen' talentum magnum exorari poſ ſit Ab iſtoc ſene &c. Quid autem mirū, ſi in Trochai cis Iambicisq́; reperias* ὑπερμέτρους, *quum in Sapphi cis etiam inuenias apud Oratium? Vtüntur Comici et* Διαίρεσις. *diæreſi identidem, quo modo in Adelphis iam ſemel atque iterum diſſyllabum legitur, ut & apud Plautū nonnunquam. Ita apud Catullum ſoluït, apud Oratium ſyluæ, apud Statiū ſüaſit. Et cōtraria huic figura ſynæ* Συναίρεσις. *reſi, quæ &* ἐπισυναλοιφή *dicitur, qua duas in unam ſyl labam cōtrahunt: ut ſeruibas pro ſeruiebas, ſcibas pro ſciebas, ſicuti apud Verg. Ferreiq́; Eumenidum thala mi, & ſæpe aliâs. Frequens etiam eſt apud Terentiū in uerſuum menſione* συναλοιφή, *quæ fit, quum in diuer* Συναλοιφή. *ſis dictionibus uocalium inter ſe coeüntium altera ue lut obliteratur, &* ἔκθλιψις, *quoties m cum uocali præ* Ἔκθλιψις. *cedente excluditur. Quanquam non ſemper idem eli di ſolitum apud ueteres teſtatur Priſcianus libro pri mo. uelut apud Terētium in Eunucho act. III. Sce. ter tia: Vnà ire cum amica imperatorem in uia; eſt enim ſecundo*

M non ſemper κατ' ἔκθλιψιν eliſum apud ueteres.

ſecundo loco tribrachis. Quòd ſi m elidatur, erit ibidem Pyrrhichius: cui nullus in Iambico locus. Sic alibi: Primũ iſtam quam habes, unde habes ueſtem? taces. Eodem modo apud Iuuenalem: Quum propter plurima, tum his Præcipuè cauſis. Satyra IX. De figuris cæteris nihil hîc dicendum puto. Sed ut aliquod uelut ſpecimen harum rerum præbeamus, è prologo Andriæ & ex ſcena prima eiuſdem quædam carptim ſumamus, quibus hæc uel comprobemus, uel planiora faciamus. NAM IN *prologis ſcribundis operam abutitur.) Hîc quur primam Comicus in prologis produxerit, multas adferri poſſe rationes ſcio. Nos id factum putamus more latinorum, apud quos præpoſitio pro longa ferè eſt: qua ratione Martialis quoque primam in propino produxit, quũ ſit alioquin breuis. nã Græcis* προπίνω *eſt. Fecit idẽ Terẽtius in Eu. Contrà ſunt apud nos, in quibus eadẽ præpoſitio more Græcorum corripitur. ut profundo, procuro, prophanus, profeſſus, atq; id genus alia. Quamuis enim hæc adfirment quidam, quòd uel cum propè, uel cum procul aduerbijs componentur, ob id corripi: tamen magis ueterum placet ſententia, qui ad imitationẽ Græcorũ, apud quos præpoſitio* πρὸ *corripitur, noſtros quoq; in quo rũdã cõpoſitiõe hoc feciſſe dicũt: ut teſtatur li. XIIII. Priſci. Erit hîc igitur primo loco ſpõdeus: niſi quis cẽſeat nõ elidendũ eſſe m in prima dictiõe uerſus. Sed alterũ magis placet, quũ præſertĩ aliâs quoq; producat, uelut in Heau. Oratorẽ uoluit eẽ me nõ prologum. Et in Hec-*

Prologus apud Teren. prima lõga

Pro, more Græcorũ aliqñ in cõpoſitiõe corripit

in Hec. Orator ad uos uenio ornatu prologi. VT per noſcatis & quid ſpei ſit reliquum). Aut in pernoſcatis eliditur s, aut ſpeî per ſynæreſim in unam coaleſcit ſyllabam. Reliquum in prima producitur. addendum eſt enim κατὰ ἐπένθεσιν alterum l. quod & aliás apud Terentium inuenias, ut in ſcena prima Phormionis: quomodo et religio et reliquiæ metri cauſa apud Virgiliũ producuntur. PROPTEREA quòd ſeruiebas.) In metiendo contrahes unam in ſyllabã duas haſce uocales ie. Diomedes teſtatur libro I. ueteres huiuſmodi uerba ſine e litera pronũciaſſe, uelut apud Virg. VII. Aenid. Nutribant Tyrrhusq; pater, pro nutriebant. & IIII. Lenibant curas &c. Priſcianus quoq; ait licere maximè quidem poëtis, in quarta coniugatione dicere audibam, munibam, & ſimilia. Terent. in Eu. Neque ſcibat, neque per ætatem etiam potuerat. ID gratum fuiſſe.) Secũdo loco ſpondeus eſt. cõtrahitur enim κατὰ συναίρεσιν fuiſſe in duas ſyllabas. SED mihi hoc moleſtũ'ſt.) Mihi contrahe mî: quomodo apud Virg. VI. Et mî genus ab Ioue ſummo. ITA faciam. hoc primum in hac re prædico tibi.) Primo loco ponitur proceleuſmaticus: niſi malis tribrachyn, cõtractis duabus ſyllabis, in uerbo faciã. EO pacto et gnati uitam.) Eo monoſyllabũ fit in mẽſione carminis. Liberius uiuẽdi fuit poteſtas.) Liberius, ſi s obliteres, poſtremis uocalibus coaleſcentibus, erit dactilus primo loco. Verbũ fuit in unã cõtrahitur ſyllabã: quod fit in hiſce quoq; uocibus, ſcias & ſuæ, hoc uerſu: Scias poſſe habere iam ipſum

ſuæ uitæ modum. In illo proximè præcedēti: Nam qui cum ingenijs conflictatur eiuſmodi: tur eius, iambum efficit, nam eius contrahitur. Sed hæc mihi ſemel dicta ſufficiant. nam paßim obuia ſunt. NVNQVAM præponens ſe illis, ita ut facillimè.) In pronomine illis s eliditur, ut ſit quarto loco iambus. In plæriſq;, uelut Lugdunenſi, Veneto, Argentoratenſi, et cæteris paulò uetuſtioribus legitur: Nunquam præponens ſe alijs; quo modo in manuſcripto fuiſſe ex raſura ſuſpicari poßis. Nihil tamen adhuc mutare auſim: licet eodē modo habeat exemplar manuſcriptum, cuius nobis copia facta ex bibliotheca illa nobili Dominorum ab Haſſenſtein. SINE inuidia laudē inuenias.) Primo loco proceleuſmaticus eſt. eliditur enim u conſonans, ut ſupra meminimus. Erit & tribrachys prima regione, ſi per ſynæreſin dia contrahatur. ENIMVERO ſpectatū ſatis.) In enimuero tollitur u, ut ſint tres ſyllabæ. Ita ſemper apud Terentium. QVID obſtat, quur non ueræ fiāt?) Manuſcripta exemplaria, quæ ipſe uiderim, habent: Quid igitur obſtat, quur non uerè fiāt? Si. audies. Eodem modo ex impreßis Lugdunenſe, Venetū, alia plæraque. Proinde qui illud igitur ſuſtulit, ignorauit (ut opinor) quo pacto uerſus in ſuos eſſet digerendus pedes. Eſt aūt prio loco proceleuſmaticus: et uerbū fiāt unam in ſyllabam contrahitur in metiendo. Ita probè conſtat trimeter, nec eſt quur aliquid inde tollas. SATis cum periculo.) Supprimitur in ſcandendo s: Satiˢ cum periclo; nam ſic omnino legēdum, non periculo, ut ſit

ut ſit συγκοπὴ. PRO *uxore habere hanc peregrinam.
ego illud ſedulò.) Hîc(niſi quis Creticū admittere au
ſit)quarto loco dactylus eſt,eliſo l in pronomīe illud:
cuius quidem eliſionis ſuperius meminimus:quo modo
Homerus* λ *elidit in* ἀχιλεύς,*uelut primo ſtatim uerſu
Iliados,* Πηληϊάδεω ἀχιλῆος. *Quanquam ſunt qui unico*
λ *ſcribēdum probent.* SATIS *uehemens cauſa ad ob-
iurgandum.)Primo loco proceleuſmaticus eſt:& s in
particula ſatis eliditur.* QVIS *igitur relictus.)Elidi-
tur s in prima dictione,ut ſit anapæſtus. Quāquā ma
nuſcriptum exemplar,quod penes nos eſt,habet:Qui
igitur:haud ſcio an rectè. licet Plautus interdū ſic ea
particula utatur.Addamus quædā ex proximè ſequen
ti ſcena.* FVTV*ras eſſe audiuit. Sed ipſe exit foras.)
In hoc uerſu metiendo s in prima dictione eliditur.Ita
probè conſtat.* VEREBAR *quorſum euaderet.)Dime
ter eſt, quo(ut Priſcianus adnotauit)diſtinctionis cau
ſa uſus eſt per medium.Poſt hunc iterum ponūtur Te
trametri.* OMNES *q amāt.) Hîc nō fit colliſio in qui
amāt:cuius ad imitationem Virg. Credimus,an qui a-
mant,ipſi ſibi ſomnia fingunt? Nam qui,quanquā aliò
qui longum, corripitur ob uocalem ſequentem,uideli-
cet ad imitationem Græcorum, apud quos hoc frequē
tiſſimum.Idem alibi:Et ſuccus pecori, & lac ſubduci-
tur agnis. Ne hîc quidem ulla fit* συναλοιφή:& *ſyllaba
ri longa manet:contrà quàm in ſuperiori.Subijciā plu
ra è Terentio huius rei exempla, ne hîc caſu accidiſſe
putes,quod Poëta certo conſilio fecit: quum alij ante*

Qui corri-
pit,ſequēte
uocali, nul
la facta col
liſione.

I non ſemper elidit, ſequēte uocali. *cum (cuius in Oratore meminit Cicero) idem factita-rint. Ex Andria: Abi hinc in malam crucem cum ſuſpicione iſthac ſcelus. Verſus eſt tetrameter: ubi primo loco iambus ponitur, nulla facta uocalis eliſione. Sin Trochaicum eſſe malis, anapæſtus prima regiōe erit, non eliſa uocali i, eademq́; ipſa correpta. Ex Hecyra: Vt ni eximium neminem habeam? Sy. neminē. Tametſi hoc loco exemplaria quædam manuſcripta habeāt: Vtin eximium &c. quæ mihi ſanè lectio magis probatur. Nā & Donatus: Vtin pro ut ne ἀποστροφος, inquit.*

Ni pro ne. *Sed et ut ni probè legi poteſt. Veteres enim ni pro ne ponere ſolitos teſtatur apud Virgilium Seruius III. Aeneid. Priſcianus XV. qui Donatum quoque idē in Virgilium adnotaſſe ait. Et quidem in Eunuchum Donatus ſemel atque iterum huius rei meminit. In eâdem fabula, Bene (ita me dij ament) nuncias, & gaudeo: Niſi hic malis dij eſſe diſſyllabū per diæreſin, ſicut apud Ouidium, hoc uerſu, Si nemo eſt omnesq́; dij non poſſe fatentur: & ſæpe aliâs. Ex Phormione: Nam qui erit rumor populi (inquit) ſi id feceris: eſt primo loco dactylus. Ex Heau. Eho, quæſo, laudas qui heros fallunt? Ch. in loco Ego uero laudo: hic tertio loco dactylus.*

E non ſemper elidiť. *E quoque non ſemper eliditur. ut in Eu. Dies noctesq́; me ames, me deſideres: tertio loco tribrachys eſt. Quòd ſi uocalis elidatur, fuerit pyrrhichius, cui nullus eſt in Iambico locus. Sic in Adel. Qui te amant plus q̃ hoſce oculos, ſed quur non domum: Prima regione dactylus eſt, nulla facta eliſione, nam alioqui trochæus eſſet.*

eſſet. Tale illud Virgilij: Nomen & arma locum ſeruant, te amice nequiui &c. Hæc atq; alia huius modi quum non omnes animaduerterent in Comicis, quid mirum ſi multa addita ſint paßim, multa inuerſa à ſciolis, ne non conſtaret metri ratio, contra uetuſtorū codicum fidem? Quur autē hac libertate reformidet uti Comicus, qua uſi ſunt in Heroicis Virgilius et cæteri poëtæ? Hoc tamen non dißimulauero, Comicum hanc ſibi maximè permittere libertatem, quoties adeſt aſpiratio h in initio dictionis ſequentis, quæ nonnunquā apud eum quaſi conſonans (pace Grammaticorum dixerim) uideri poteſt. Nam hac ſequente, ne alia quidē ulla interdum eliditur uocalis in fine dictionis præcedentis, cuius rei exēpla aliquot ſubijciemus. Eſt in prologo Hec. Hecyra eſt huic nomen fabulæ, hæc quum data eſt: Hic quarto loco nulla excluditur uocalis, quum propter aſpirationem ſequentē, tum (ut ante diximus) imitatione Græcorum. Ex Eu. Alio pacto honeſtè quo modo hinc abeam, neſcio. Hic trochaicus non conſtat, niſi quinta regione nulla fiat colliſio. Quid? quòd Satyrographus hanc ſibi permiſit libertatem. uelut Satyra II. Si fur diſpliceat Verri, homicida Miloni. Et alibi: Viuendū eſt rectè quum propter plurima, tum his Præcipuè cauſis: An non hic cōſonantis propè uim ſpiritus habere uidetur? Hac ratione (opinor) defendi poteſt ille in Andria uerſus: Propter hoſpitæ huiuſce cōſuetudinem: ut primo loco ſit ſpondeus, ſecunda ſyllaba producta ob ſequētem aſpirationem: Poſt ſequatur dacty-

H in uerſu nonnūq uidet obtinere uim conſonantis.

dactylus, nulla eliſa uocali. Ita probè ſtabit uerſus. Sic in Eu. Voluit facere contrà huic ægre, heus (inquit) pu er Pamphilam: Verſus eſt trochaicus, qui niſi uel ter tio loco diæreſis, uel quarto nulla ſynelœpha ſit, et pu er unam in ſyllabam cõtrahatur, ſtare non poteſt. Ni-

Puere uocatiu⁹, à nominatiuo puerus.

ſi ſi quis legendum putet puere caſu uocatiuo, quod a pud Plautum multis in locis reperitur, nimirum à no minatiuo puerus, quo antiqui uſi. In Curculione: Cedò puere ſinum, inquit. In Aſinaria, I puere, pulta. Sic in Mercatore, in Perſa, in Truculento, & aliâs ſæpe. In

Puera fœminimum.

de fœmininũ puera pro puella, quo Varro utitur a pud No. Marcellum. Meminit huius etiam libro VII. Priſc. Sed modũ hiſce in rebus ſeruemus oportet. Ex dictis enim lector ſtudioſus cætera per ſe ipſe intelli get. Intelliget porrò et illud, haud eſſe temere de reſti tutione noſtra cenſuram faciendam, qui ſagacibus oĩa coniecturis perueſtigauerimus, tam accuratè ſingula expenderimus, obſeruatis collatiſq; uetuſtiſſimis qui buſq; exemplaribus, adhibitis Donati commentarijs, & quæ ibidem admixta interdum (ut adpâret) nobili um Grammaticorum Scholijs, perpenſis aliorũ & ci tationibus & enarrationibus, nuſquam ingenij diuina tionem, ſed antiquiſſimorum uoluminum fidem haud ſi ne iudicio ſequuti. Nec interim non alijs quoque mul ta debet iuuentus, qui aliquid operæ in Terentij emen datione poſuerunt, uel qui nunc etiam recognitionem eius moliuntur, quos hac noſtra diligẽtia uel ad editio nẽ, quã hactènus diſtulere, prouocabimus, uel ad maio

rem

*rem certè induſtriam exacuemus,quo quid tandẽ pueris conducibilius? Non mihi ſumo tantum neque arrogo,plus ut ipſe in hoc autore recognoſcendo perſpiciam, quàm alios uiſuros mihi perſuaſerim. Sed iam tandem aliquando ad rem accedamus,illud antè præfati,nos hic ea, quæ præpoſtero ordine paſſim poſita offenderim, atque alia id genus multa,quæ minutiora fermè ſint, quàm ut operæpreciũ uideatur perſequi, præterituros:Quod eò quidem duximus admonendũ, ne,quod iudicio à nobis certaq; ratione factum eſt,inſcitiæ aliquis aut negligentiæ adtribuendũ putet. Primùm igitur occurrit.*PERCVLSIT *illico animũ.)Sic cõſtanter in exemplaribus, quæ circunferuntur,habetur, ſicq; legendum è doctis quidam contendunt.Nos uero ab hinc triennium fermè percußit legendum admonebamus,eſtq; ea(ut opinor)uera ſynceraq; lectio, præſertim quando neque ueterum Grammaticorũ,neque recentiorum quiſquam alterius uerbi mentionem uſquam facit.*Nam *à percello perculi exſiſtit.nec quicquam ad rem facit, quòd perculſus legitur participiũ à paßiuo percellor,quum non ſemper neceſſe ſit præteritum et ſupinum cognationem inter ſe omnimodã ſyllabarum habere, quæ tamen adfinitas errori uidetur anſam præbuiſſe.* Facit *nobiſcum Donatus,ut quidem omnes editiones habent.Cic.quoque ad Att.*IIII. *Percußit animum,inquit,nimirum uſurpans hoc Terẽtianũ,ut ſolet.* Eius *uerba cuncta quæ huc faciunt,ſub ijciam,nè quis ſcrupulus relinquatur, Audiui ex Ga-*

EX primo actu. Percuſſit p̃teritũ an usq̃ reperiatur.

nio hoc Firmano, Romæ eſſe hominem, & fuiſſe aßidu um: Percußit animum. Dices, tantulâne cauſa? Permul ta ad me detulerat non dubia de Firmanis fratribus. Quid ſit, quod ſe à me remouit (ſi modò remouit) igno ro. Hæc ille. Non dubitem perſanctè deierare, & con ſtanter atq; omni ratione confirmare, quum hæc ſcri beret Cicero, in mentem illi ueniſſe huius Terentiani: Percußit illico animum. Subinde enim quum alibi, tum in illis maximè ad Atticum epiſtolis ad Comici noſtri dicta ſententiasq; reſpicere, iiſdemq; libentißimè uti conſueuit. Conſentiunt omnes ad unum codices uetu ſtiores, & manuſcriptum quod penes nos eſt, cuiusq; plerunq; fidem ſequimur, exemplar. Præterea & il lud, cuius antè memini, ex bibliotheca inſtructißima Dominorum ab Haſſenſtein: ut iam cætera, quæ nobi ſcum faciunt, omittamus. Nam apud Orat. lib. I. Oda. VII. perperam perculſit legitur in omnibus fermè edi tionibus, quum Acron percußit legat, qui idem inter pretatur, Nimia delectatione animum ferijt. Apud Lu canum item II. Pharſaliæ haud dubium, quin percußit legendum ſit, hoc uerſu, At non magnanimi percußit pectora Bruti Terror &c. ut in quibuſdam antiquis habetur. Marcellinus lib. XVII. Subitò cunctos ag greſſus tanquam fulminis turbo perculſit, Legendum hoc loco perculit. Quòd autē percußi ad animum re ferri non poſſe aiunt, ſed ad corpus ſolū, freti (ſi dijs placet) Agrætij cuiuſdam autoritate, id ſecus habere ſexcentis exemplis planum facere poſſem. Vnum atq; alterum

[Margin notes: Oratij loc⁹ — Lucani locus. — Marcellini locus. — Percußi etiam ad animum referri poſſe.]

alterum ſubijciam è Ciceroẽ. Is pro Milone, Quónam (inquit) modo ille uos uiuos adfecerat, qui mortuus inani cogitatione percuſsit? Idem III. ad Atticum, Percuſsiſti autem me etiam de oratione prolata, cui uulneri, ut ſcribis, medere ſi quid potes. Quanquam μεταφορικῶς loquitur, à corpore tralatione ſumpta ad animum. Contrà percello apud Statium III. Theb. Orantem in medijs legatum cœtibus enſe Perculerit. Idem VI. Alio puer improbus ictu Perculit. HONESTA oratio eſt.) Eſt hæc quidem uera haud dubiè integráque lectio. Cæterum ſunt codices, qui habeant, Honeſta ratio eſt, uelut Lugdunenſis quidam, & alter Argentoratenſis, adhæc manuſcripti duo. Sed uerſus (ut nihil dicã aliud) quò minus ſic legi poſsit, repugnat, ſicut & illud calamo deſcriptum (cuius nos fidem plerunq; ſequi diximus) exemplar. Vocum (credo) ſimilitudo anſam dedit errori. Cicero hoc Terentij imitatus in II. Officiorum ſic inquit, Itaq; uulgo loquuntur, ſeſe in beneficijs collocandis mores hominum, non fortunam ſequi, honeſta oratio eſt. Sed quis eſt tandem, qui inopis & optimi uiri cauſæ non ante ponat in opera danda gratiam fortunati & potentis? VT CONSVMAT, quum nihil obſint doli.) Nos ex uetuſtis particulam nunc addendam cenſemus ad uerbum conſumat, idem expoſcente ratione metri. SINE VT eueniat quod uolo.) Nos de eruditorum ſententia, Sin eueniat, legimus, licet refragantibus magno conſenſu & impreſsis & manuſcriptis exemplaribus

ribus. Porrò Grocinum hunc locum reſtituiſſe primũ teſtatur Th. *Linacer.* Nonnihil *de eodem in Conuiuio* Poëtico *Eraſ.* DEHINC *poſtulo & ſi æquom eſt, te oro.)* Nos, *ſiue æquom'ſt, quomodo &* Donatus, *& ex impreßis quædam, libris quoque calamo deſcriptis ſuffragantibus. Vtitur etiam Cicero alicubi particula ſiue, pro uel ſi, nempe* I. *De legibus,* Quinti*(inquit) noui ſententiam de deorum immortalium ratione, poteſtate, mente, numine, ſiue quod eſt aliud uerbum, quo planius ſignificẽ quod uolo. Similiter* Terent. *in* Phor*mion. Illa dictiuncula neque pro & non diuiſis uſus eſt, quum inquit,* Neque *eum æquom ait facere, id eſt, & ait eum non facere æquum. ſcena.* II. *act.* I. *Fateor tamen alteram illam lectionem in quodam non planè nouo exemplari uidiſſe me, nimirum eo, cuius nobis copiã fecit uir optimus integerrimusq;* Io. *Muslerus. Sed hæc poſterior, ni me fallit opinio, uerior eſt.*

Siue, ꝓ, uel ſi.

Neq;, ꝓ & nõ diuiſis.

NEQVE *tu hoc dicas tibi non prædictum.)* Nos, *adnotante* Donato, *& ex obſeruatione uetuſtæ lectionis,* Neque *tu haud dicas &c.* V*acat enim negatio hoc loco, more Græcorum, apud quos uidemus* παρέλκειν τὰς ἀποφάσεις *ſæpenumero. Eodem modo habetur in his peruulgatioribus quibuſdam. Marcellus quoq;* Varro*nis exemplo probat, negatiuas duas pro una interdũ accipi. lib.* De *proprietate* Serm. VT SCIAM *nunc quidnam hæc turba triſtitiæ adferat.)* Nos, *ut ſciam, nunquidnã hæc turba &c. quod ex* Donato *quoq; perſpici poteſt.* Nunquidnam. *hoc* Comicum *eſt(inquit) &* Teren-

Negatio uacans more græcorum.

Negatiuæ duę ꝓ una.

Nunqdnã pro, quid.

& Terentianum, quum exceptis num & nam, ſuffice re ad interrogationē potuiſſet qd. Sic ille, ut editio habet Romana. Alibi quoq; Ter. Nunquidnam amplius tibi cum illa fuit? inquit. QVID agitur? My. Rogas? laborat è dolore.) Ex Donato ſuſpicari quis poßit, legendum eſſe, Quid agit? Eius uerba ſunt, Quid agit? Amatoriè (inquit) et familiariter. Nō enim dixit, quæ. Verg. Quæ mihi reddat eum uel eo me ſoluat amantem. Hæc ille, ut quidem editio Romana habet. nam in cæteris deprauatus erat hic locus. Conſentit manuſcriptum exemplar, quo in exemplari tamen quidam ueram lectionem contaminarat in ſpacio, quod uerſus dirimit. Cohærent quoq; hoc modo aptius quæ ſequuntur, Laborat è dolore &c. PERq; huius ſolitudinem.) Monuit Don. legi hoc loco & ſollicitudinē: quod mea ſententia haud perinde quadrat, atq; alterum illud, quo & Cicero ſimiliter utitur pro Pub. Seſtio, quum ait: Maximis officijs & illius ærumnam, quoad uixit, et filiæ ſolitudinem ſuſtentauit. APVD forum modò de Dauo audiui.) Sunt qui legant, E Dauo audi. Sed utrunq; rectè: licet poſterius in manuſcriptis habeatur, & in uetuſtißimo quoq; ex impreßis. Tribus autem modis effertur hæc loquutio: Ex aliquo audire, de aliquo, & ab aliquo: uno eodemq; ſenſu. Meminit huius Valla libro tertio cap. LXVIII. VT ALIquot ſaltem nuptijs protrahat dies.) Nos: prodat dies: ex ſententia Nonij Marcelli in explicatione uerbi prodere: quo modo etiam in omnibus fermè antiquis codi

EX SECVNDO ACTV.

Audire ubi conſtructio.

cibus

cibus habetur: licet in impreſſis, qui circunferuntur, aliter. Eodem modo Don. *legiſſe uidetur. Sic enim inquit:* Prodat *uero, proferat, prolâtet, differat.* Lucilius *in* V. *An porrò prodenda dies ſit.* Quanquam *quod ad ſenſum pariter ac rationem metri attinet, poteſt etiam legi protrahat, ut in menſione carminis fiat uocalium contractio per ſynæreſin.* AD TE *uenio ſpem, ſalutem.)* Manuſcripti *codices magno conſenſu habẽt: Ad te aduenio, ſicut & ex impreſſis quidam.* Præterea Priſc. *lib.* XVII, *ſic legendum indicat, quum ait latinos more imitationeq; Græcorum frequenter uti abundantia præpoſitionis. uelut eſt, accedo ad pediſſequas. &* Nunquam *accedo ad te, quin abeam doctior. Sic, Adeon' ad eum? & hoc loco: Ad te aduenio &c. uide* Priſcianũ. *nos enim breuitati ſtudemus.* ET TV *quid timeas ſcio.)* Nos *omiſimus uerbum timeas, quod nec habent uetuſta exemplaria. & omittendum eſſe monuit* Don. *prætereà particulam certè, quæ deſiderabatur in eo quod proxime antecedit, adiecimus ex* Donato, *cuius hæc ſunt uerba:* Et *affirmans (inquit) iuſiurandum certè addidit.* Bene *certè, quaſi illud interij falſum ſit.* Idem *paulò poſt:* Et *quid tu ſcio.* Mira *compendia, quæ contrahit* Poeta *longitudine fabulæ, nec tamen perdit affectus perſonarum.* Et *tu quid, deeſt timeas.* Hactenus Don. *cui quis dubitet de* Terẽ*tianæ lectionis incolumitate maximè omnium credendum?* Legendum *igitur:* Mea *quidem hercle certè in dubio uita eſt.* Da. *& quid tu, ſcio.* Nec *aũt mirabere, ſi hæc*

Prodere, pro quod est, proferre, plare, differre.

Abundãtia prępositiõis.

ſi hæc tria coniunxit,certe quidē hercle, quum in Eunucho idē:Certè tu quidē pol multo hilarior. &c. Et *in Phormione, Nā tua quidē hercle certè uita hæc expetenda optandaq́; eſt. Iunxit hæc tria Plautus quoq; in Menæchmis,atq; item in Sticho. Vt aūt Græci particulas quaſdam habēt ſuperuacuas interdum, quibus ornatus magis cauſſa,quàm ſignificatione aut neceſsitatis utātur. itidē & latini,atq; inter hos maxime Comici noſtri Plautus & Terētius. TVVS pater mō me adpræhendit.)Nos ex Donato,prehendit. Sic enim ille legendū admonet, aſtipulantibus antiquis exemplaribus. Prehendit(inquit)pro prendit, addita aſpiratione geminauit ſyllabam. Et prehendit dixit,quaſi uitantē ac fugientem. ETIAM puerum inde abiens conueni Chremis.)Nos ex Donato Chremi legendum ſuſpicamur,qui adnotauit Chremi ſic dictum, ut Vlyſsi, ut Achilli apud Vergiliū. Probus in Catholicis nominum, Inueni(inquit)Chremi genitiuum, Et antiquæ eſt ratio declinationis,datiuo uti pro genitiuo, Infelicis Vlyſsi pro Vlyſsis, Achilli pro Achillis. Ita probus. Vtrocunq; modo legas,conſtabit & ſenſus & carminis ratio. Exēplaria partim Chremis habent, partim etiam Chremi,è quibus Venetum, Argentoratenſe,alia pleraq;. AC nullus quidem.)Sic et manuſcripta exemplaria habent. Cæterum Lugdunēſe & quædam alia: At nullus quidem,quod haud ſcio an rectius ſit. Nullus pro minimè accipitur hoc loco,quod & Priſc. adnotauit lib. XV. Eſt autem enallage partis. Sic in Hec.*

Particulę ſupuacuæ.

Chremi p Chremis.

Nullus pro minimè κατὰ ἀντιμίξυαγ.

Si quæ

Si quæret me,uti tum dicas.ſi non quæret,nullus dixeris,pro non dixeris. Eodem modo Cicero: *Philotimus non modò nullus uenit, ſed ne per literas quidem aut per nuntium certiorem fecit me,quid egerit.* Idē III. *Officiorum,Quærit ex proximo uicino, num feriæ quædam piſcatorum eſſent, quòd eos nullos uideret, pro nuſquam ullum:Vbi perperam quidam legunt nullus,quum ſecus habeant ſpectatæ fidei codices.* NAM *quod tu ſperas propulſabo facilè.) Eſt in quibuſdam ſperes modò ſubiunctiuo, aut uerius potentiali. quo etiam* Donatū *legiſſe,coniectura quadam ducor ad ſuſpicandum:Id quod magis hic præoccupationi, uel(ut* Fabius *uocat)præſumptioni,qua utitur* Dauos, *conuenire uidetur.Poſuit aūt Comicus ſperare per acyrologiam pro timere:quo modo græci ſuum* ἐλπίζειν *uſurpant, cuius* Priſ. *etiam meminit lib.*XVIII.*Sic* Virg. *Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem, pro timere.*PVERVM *autem ne reſciſcat mihi eſſe ab illa.)* *Manuſcriptum exemplar habet: ex illa:cum quo facit ex impreßis* Venetum *&* Lugdunenſe, *& quod annos ante* XXIX.*Argentorati excuſum eſt. Præterea illud ex bibliotheca dominorum ab* Haſſenſtein. QVASI *de improuiſo reſpice ad eum.Pam.hē pater.)* *In manuſcripto erat:*Ehem pater, *& utrunq; ſanè rectè,niſi quod priore frequentius utitur, quum ſimpliciter alicui reſpondentem ſignificare uult.uelut in* Phormione.An.Geta.Ge.hem.An.quid egiſti? Ge. emunxi *argento ſenes.Poſteriore,quum repente & de impro-*

Ciceronis locus.

Sperare pro timere, κατὰ ἀκυρολογίαν, ut græci ἐλπίζειν.

Ehem & hem particularū uſus

uiſo

aſſo reſpicientem, aut uidiſſe aliquid diſsimulantē, aut deniq; commotum & quaſi perculſum re ſubita et nó ua. uelut in Eunucho: Ehem tu ne eras mi Phædria? Hîc ſimulat meretrix non præuidiſſe adoleſcentē. Rurſus ibidem: Quis homo eſt? ehem, ſaluom te aduenirè here gaudeo: Hîc non uult Parmeno uideri præuidiſſè uenientem herum, nè quid fallaciæ paraſſe putetur. In Adelphis: Ehem Demea, haud aſpexeram te: Sic bonæ fidei exemplaria, licet Donati editiones ſecus habeāt, haud ſcio an mendoſè. In Hecyra: Ehem Parmeno tun' hic eras? Hîc (ut Don. ait) interiectio eſt eius, quæ commota ſit noua re. In Phormione: Quis homo eſt? ehem, Hîc ſeruus fingit non uidiſſe ſe ſenem, quô ea, quæ dixit, ſedulò atq; ex animo dixiſſe credatur. Sic aliâs ferè utitur Terentius, licet multis in locis iſta confuderint librarij, uix ut reſtituere in integrum poſsis. HERVS quantum audio ab uxore excidit.) Manuſcriptus codex non habet præpoſitionem illam ab, nequè Don. addit. Videtur ab aliquo locum explicare uolente adiecta, atq; inde tandem in contextum irrepſiſſe, incuria (ut fit) librariorum. SVBTRISTIS Viſu'ſt eſſe aliquantulum mihi.) Manuſcriptum uolumen habet aliquantum, ſed librarij uicium eſſe puto, diſſentientibus cæteris omnibus, in quibus & Haſſenſteniano. Priſcianus ita hunc locum citat lib. XVIII. Subtriſtis uiſu'ſt eſſe aliquid, quod ne uicium eſſe exemplaris ſuſpicere, Attici (inquit) τὸ ex ſuperuacuo adijciunt. Mox ſubdit hoc ex Andria exemplum, quo oſtendat

Atticorum imitatione apud latinos nonnunquam particulam aliquid uacare, Sed eſt haud dubie (ut Cicero uocat) μνημονικὸν ἁμάρτημα. *Tametſi Budæus quoque ſic locũ citat. adnotaturus* τὸ *aliquid* παρέλκον *eſſe* καὶ παραπληρωματικὸν, *Sed ſcilicet ita ferè fit, ut docti locũ aliquẽ citaturi, nimis interdũ memoriæ fidãt, quod eſt humanum erratum & ignoſcẽdum.* SED *eſt quod ſuccenſeat.) In exẽplaribus ſpectatæ fidei ita ſcriptum offendi, Sed eſt quod ſuccenſet tibi, quanq̃ & alterum illud placet. Frequens autem eſt apud Terentiũ eiuſmodi enallage modi. Perperam etiam omiſſus erat datiuus tibi, qui in antiquis additur.* PER *Ecaſtor ſcitus puer natu'ſt Pãphilo.) Haud ſcio, an librariorũ incuriæ aſſignãdum ſit, q apud Priſc. lib.* XIIII. *ſic citatur hic locus, Per caſtor ſcitus puer eſt natus &c. Quanq̃ nõ me fugit inter aduerbia iurãdi recenſeri nõ ſolũ æcaſtor, ſed et caſtor, quo Plautus interdũ utatur. Sanè exẽplar manuſcriptũ è bibliotheca Dominorũ ab Haſſenſtein habet, Per caſtor ſcitus puer etc. Eſtq; hæc fortaſſe uera germanaq; lectio. Verum utrocunq; mõ legas,* τμητικῶς *pro perſcit9 puer accipitur. Puerũ aũt (ut hoc obiter addã) filiũ intelligit, ut græci* παῖδα *dicũt, & Orat. I. Od. pueros Ledæ, hoc eſt, filios. Scitũ uero appellat pulcrũ et elegantẽ, Græci* ὡραῖον, *ſicut et Do. adnotauit.* NAM *q iſthæc tibi incidit ſuſpectio?) Ita exẽplar Vuittẽbergæ excuſum. ſicq; (opinor) aliquo in ueтuſto codice reperit Philippus, Sed quũ nullũ nobis ſit exemplar, quod ei ſuffragatur relinquimus uulgatam lectionem*

Modi enallage.

EX TERTIO ACTV.

Puer pro filio, ut græci παῖς.

Scitus puer, quem græci ὡραῖον.

lectionem: præſertim autem quum inuenias apud Terentium, ubi produci uideatur antepenultima in hac dictione ſuſpicio, ne hic produci eam mirere. ut ſcena prima Eunuchi: Suſpiciones, inimicitiæ, induciæ, et III. Sc. actus III. Velle agere mecũ, iam tum erat ſuſpicio: Niſi dicere auſis, illic primo loco trochæum, hic quinto eundem poni. Nec tamẽ diſplicet ſuſpectio: præſertim quum ea uox apud Corn. Celſum, idoneum & locupletem autorem, pro ſuſpicione libro II. capite IX. reperiatur: quum ait: At ſi morbi ratio patietur, tum demum nulla cruditatis ſuſpectione remanẽte id fiat. Ita apud Amm. Marcellinum: Et quia per regiones ignotas de obſcuris erat ſuſpectio circa aſſurgentes, et ludificandi uarietas timebatur: Ideo Imperator nunc anteſignanis, nunc agminibus cogendis inſiſtens, cum expeditis uelitibus, nè quid lateret abſtruſum, fruteta ſquallida uallesq; ſcrutabatur. Præterea apud Saluſtiũ in Iug. ſuſpiciens pro ſuſpectum habens uſurpatum uidetur, quum inquit: Per idem tempus Bomilcar, cuius impulſu Iugurtha deditionem, quam metu deſeruit, inceperat, ſuſpectus regi, & ipſe eum ſuſpiciens, nouas res cupere, ad perniciem eius dolum quærere. Ita ſuſpectare pro ſuſpicari atque habere ſuſpectum identidem uſus eſt Corn. Tacitus: uidelicet frequentatiuum loco primitiui uſurpans. uelut XIIII. Suſpectabat maxime Corn. Syllam, ſocors ingenium eius in contrariũ trahens, callidumq; et ſimulatorem interpretando. Et XV. Sed ipſa in cuſtodia retenta eſt, ſuſpectante Nerone

Suſpicio interdũ uidet apud Terẽ. antepenultimã ꝓducere.

Suſpectio ꝓ ſuſpicione.

Suſpiciens apud Saluſt. ꝓ ſuſpectũ habens.

Suſpectare ꝓ ſuſpectum habere.

rone haud falſa eſſe,etiam quæ uera probabantur. Vt *autem ſuſpectus,pro eo qui in ſuſpicionē uenit,à uerbo ſuſpicere deducitur:ita et ſuſpectio quid ni inde cōmodè ſatis formetur?* TV TAmen *has nuptias perge facere). Sic uulgò omnes Terentiani codices,ſed mendoſè.* Nos *igitur particula idem, quæ deſiderabatur, adiecta legimus:* Tu tamen idem has nuptias *&c. quo modo* Donatus,*ſuffragantibus antiquis et emēdatioribus codibus.*Nec *ſecus à doctis hic locus citatur:*Vt *omittā, ꝙ uerſus ratio hoc ipſum expoſcere uidetur.Eſt aūt* Trochaicus *tetrameter catalecticus.* Niſi *negocij legere quis malit contra fidē exēplariū ueterū, in quibus per apocopā adēpta eſt litera ultima de genitiuo negoci, quo mō* Verg. *peculi dixit pro peculij,tuguri pro tugurij in* Buc.ET *id ſpero adiuturos deos.)* Hāc *lectionē ipſe quoq; ſequor,*Sed *eſt (quod diſſimulandū non puto)in manuſcriptis,*Et *id ſpero adiutores deos, quo mō cōſentiūt ex impreſſis etiā* Venetū,Argētoratenſe,*alia pleraq;,ut de tāto uetuſtiſſimorū quorunq; inter ſe conſenſu mirer.*Porrò *nè quē inſolētia loqutionis offendat,ſcias* Don.*quoq; adnotaſſe,ubi nunc legitur,* Nihil *circuitione uſus es,legi ibidem etiā:*Nihil *circuitione uſor es. quod ſimile propemodum eſt alteri.* Eſt *autem* ἀντιμέρεια, *qua libenter* Comici *uti ſolent.ut alibi,*Quid *huc reditio eſt?pro quur huc redijſti?* Plaut. *in* Amph. Quid *tibi hanc rem curatio eſt uerbero?* In Truc. Quid *tibi ad haſce acceſſio eſt ædeis propè aut pultatio?Sic ſæpe aliâs.*ATQVE *adeo in ipſo*

ἀντιμέρεια apud Comicos.

in ipſo tempore eccũ ipſum obuiàm.) Sunt qui addant Chremetem. Vt et Venetum habet et Argentoratenſe exemplar. Illud ex bibliotheca dominorum ab Haſſenſtein habet Chremem, quomodo legendum è Donato liquet, qui hoc loco, Continuo (inquit) mutauit declinationem, ut Iubeo Chremetem, quibus ex uerbis colligitur hic Chremem, in initio proximæ ſcenæ Chremetẽ legendum. Eſt autem uerſus Trimeter, ut proximi ſuperiores aliquot. Prior ſyllaba primæ dictionis pertinet ad finem præcedentis, & adeo diſſyllabum eſt, ut ſit prima regione anapæſtus. AMANTIVM iræ amoris reintegratio 'ſt.) Sic omnes habent hi fermè libri, qui ſunt in manibus. Cæterũ uolumen ipſum manuſcriptum, cuius plerũque fidem ſequor, habet integratio, quo modo legiſſe uidetur Donatus, ut quidem habet editio Romana, quæ cum facit & Argentoratenſis & Moguntina. Verbo integrare T. Liuius in hoc ſignificato utitur libro I. ab V.C. Facit nobiſcum & alterũ quoddam manuſcriptũ, ſed cui perinde fidere non auſim. Præterea et illud è bibliotheca Dominorũ ab Haſſenſtein. Nos lectoris relinquimus arbitrio, quid ſequi malit. DEHINC facilè ex illis ſeſe emerſurum malis.) In quibuſdam, ut & manuſcripto, reperitur, Dein facilè, ſed parui refert, utrũcunq; legas. Hoc in tranſcurſu addam, emergere uerbum haud rarò actiuè accipi ſolitum, ut hic, et apud Corn. Nepotem in Attici uita, ubi ait, Quibus ex malis ut ſe emerſerat, nihil aliud egit quàm ut plurimis, quibus rebus poſſet, eſſet auxi-

Integrare uerbũ, à quo integratio.

Emergo actiuè poſitũ.

lio.Cicero de auruſpicum reſponſis, Iam iſta ſerpens, quæ tum hic deliteſcit, tum ſe emergit & fertur illuc, compreſſa atque eliſa morietur. Fl. Vegetius, *Qui ducto ſub terris cuniculo, muriſq; intra fundamenta perfoßis, improuiſi ſe emergerent.* Dicitur et emergor de ponens. *Cicero pro Sextio, Hominem emerſum ſubitò ex diuturnis luſtrorum tenebris.* SED *inultum id nunquam auferet.)* Peruetuſta *quædam exemplaria habent, à me auferet, ſed haud ſcio an mendoſe & perperã. Quare nihil temere mutare auſim. Neſcio an quẽadmodum* Plaut. *dixit in Aul.* Impetratum quidquid *uis ab eo auferam, ſic dici poßit, Inultum id nunquam à me auferet. Sed de hoc aliorum eſto iudicium, addendum ſit nec ne, nam nec tetrameter reſpuit. & ab interprete adiectum uideri poteſt.* Manuſcriptum *habet, Sed inultum id nunquam feret,* Feret*(inquam)non auferet, quo modo in* Heau. Terent. *At næ illud haud inultũ, ſi uiuo, ferent.* QVID *meritus es? Da. crucẽ.)* Priſcianus *legit, Quid meritus? omiſſo uerbo ſubſtantiuo. lib* XVIII. *aitq; accipi, pro quid meruiſti? Qui uolet, ex illo cætera petat.* In Heau. *eodem modo, Velem hercle factũ, ita meritus, inquit.* Faciunt *cum* Priſciano *uetuſta exemplaria, & inter hæc manuſcriptũ, quod penes nos eſt, & item alterũ ex bibliotheca Dominorum ab* Haſſenſtein. Præterea *editiones* Donati *fermè omnes.* Fuit*(credo)qui non ſenſerit hic* Poëtam *iambica miſcere cum trochaicis, ut et alias facit, ſicuti initio admonuimus,* Igitur *quô conſtaret iambici quadrati*

Emergor uerbũ deponens.

Inultũ ferre, pro, impune habere.

draƚi ratio, addidit hic uerbũ ſubſtantiuum, & in pro ximè ſequenti uerborum inuertit ordinem contra ueterum codicum fidem ubi legitur: Sed ſine paululũ ad me redeam &c. VT malis gaudeat.) Don. adnotauit utrunque legi, gaudeat et gaudeant: ſed poſterius hoc magis probare uidetur: Quum (inquit) dixiſſet cuiq́, intulit numerum pluralem: Vt malis gaudeant. ut alibi: Si quiſquam eſt, qui placere ſe ſtudeat bonis Quàm plurimis, & minimè multos lædere, In his Poëta hic nomen profitetur ſuum. No. Marcellus citat hunc locum plurali numero, ut & Venetum habet pariter et Brixianum exemplar. POST ubi tempus promiſſa eſt iam perfici.) Et hic et proximus ſuperior locus paulò aliter in antiquis legitur. Nam & hic uerbũ, eſt, omittendum uidetur, & paulò ſuperius: Quĩs pudor paululum adeſt: habent manuſcripti codices, quomodo etiam Don. legiſſe uidetur, qui hoc loco: Adeſt (inquit) pudor ne denegẽt, non adeſt ut & præſtent. Poſt ubi tẽpus, deeſt, eſt. ut ſit, Tẽpus eſt promiſſa perfici. Hæc Don. Sed et altera lectio mihi placet. Vtra aũt uerior, iudicẽt alij. Nã ego planè mihi nõ liquere fateor. MIHI confecit ſolicitudines.) Don. Legitur & conflauit, inquit: Nos priorem lectionem in libris manuſcriptis reperimus. HEV me miſerum, qui tuum animũ &c.) Nos: Quum tuum animum ex animo ſpectaui meo: ita in ueteribus fermè omnibus. Quanquam Don. utranq; lectionem indicat: neque magno in diſcrimine ponere uidetur, utrocunq; modo legas. QVID iſthuc tam mirum?

EX quarto actu.

rum? de te exemplũ capit.) Nos: *Quid iſthuc tam mirum, de te ſi exẽplũ capit?* Ita *manuſcripta uolumina, & uetuſtiſsimũ quodque ex impreſsis, nec aliter* Don. *cuius uerba ſunt,* De te ſi exemplum capit. *Vtrum (inquit) ſi te imitatur, an ſi de te exigit pœnas? ut ipſe alibi, uterque exempla in te edent. Sed melius, te imitatur accipimus.* Hæc Don. *Suſtulit (credo) aliquis particulã ſi, qui uerſum, niſi illa ſublata, ſtare non poſſe crediderit, aut ignorans, aut non cogitans fortè, quantum ſibi in elidendis quibuſdam literis permittant Comici, Cuius errori nonnihil ſenſus etiam ipſe obſecundabat.* TVVM *eſt, ſiquid præter ſpẽ euẽnit ignoſcere.)* Nos *addendum putamus pronomen mihi ad uerbum ignoſcere. quo modo uetuſtiſsima habent exemplaria, tum impreſſa tum manuſcripta. nec aliter* Don. *quod ex hiſce uerbis colligimus,* Euẽnit *(inquit) productum magis, quia hoc perpetuò non uult Pamphilo accidere. Ergo euẽnit, non autem euẽnit, media correpta. Hæc ille. Si igitur euẽnit media producta legendum eſt, nimirum addendum etiam eſt aliquid, ne ſit quarta uer ſus regione trochæus, cui nullus in Iambico locus eſt. In mẽſione tuum 'ſt unam in ſyllabam cõtrahitur.* EA *res eſt, propterea quòd nũc miſera.)* Nos, *Proptereáque nunc miſera in mœrore eſt, ut habet manuſcriptũ exemplar, quõ cum ex impreſsis Venetum facit. Alia habent propterea nunc &c. omiſſa coniunctione que. Sed prior lectio (ut puto) uerior, quæ in eo quoque reperitur, quod eſt in bibliotheca Dominorũ ab Haſſenſtein.*

ſtein. QVOT illic hominum litigant?) Sic ferè cuncta exemplaria, & agnoſcit hanc lectionem Priſc.lib. XVII. pro quot homines. Legitur tamẽ in quibuſdã, Quid illic hominum litigat? cuius Don. etiã meminit. Per me integrum ſit lectori utrumlibet ſequi, Vtrũq; certè & ſenſus & carminis ratio admittit. QVIA ſi fortè opus ſit ad herum iusiurandum mihi.) Ita quidem in omnibus reperi, quæ ipſe uiderim. Sed Don. ſecus legiſſe uidetur, quod ex hiſce uerbis eiuſdẽ liquet, Sic loquutus eſt (inquit) ut explicari atq; intelligi nõ poſsit. Aut enim deeſt ius, ut ſit iurandum pro iusiurãdum, aut (ut uulgò dicitur) iuramentum. Et opus eſt illam rem, non, opus eſt illa re. Hæc ille, unde ſuſpicari quis poſsit ad hunc modum eſſe legendum, Quia ſi fortè opus ſit ad herum iurandum mihi &c. quod & carminis ratio poſcere uidetur. Sed hoc, ut plæraq; alia in medio relinquemus: licet Plautus quoque alicubi iurãdum poſuerit, pro eo quod dicimus, iusiurandum. Iurãdũ ꝓ iusiurãdũ.

IAM ego hunc in mediã uiam prouoluam, teq; ibidẽ prouoluam in luto.) Don. peruoluam in luto legiſſe uidetur, De proximo (inquit) παρόμοιον repetit. Libenter autem facit Poëta, ut παρομοίῳ utatur, idq; ad imitationem Plauti, quanquam is in eo nimius. VT SCIRET HAEC quæ uolumus: My. prædiceres.) Nos, Hem prædiceres, quo modo in exemplaribus fideliſsimis inueni ſcriptũ, nec aliter cõſtat ſenarius. Perperã igitur omiſſa eſt interiectio illa hem. Sunt q̃ pro uolumus uoluimus ſuppoſuerint, uidelicet quô conſtaret

metri ratio, ſed contra ueterum exemplarium fidem. Sit hoc quidem (ut eſt certè) leue: quia tamen ad lectionis emendationem pertinet, non fuit prætereundum mihi aut diſsimulandũ. Sequuntur grauiora. QVAE *ſe inhoneſtè optauit parare &c. Sic habent omnes, in quos ipſe inciderim, impreſsi codices:* Nos *uero quum manuſcripti fidem, tum Probi grammatici nobilis autoritatem ſequuti, ad hunc modum legimus:* Quæ *ſeſe inhoneſtè optauit parĕre hic diuitias Potius, quàm in patria honeſtè pauper uiuere, Sic enim Probus: qui parĕre ait coniugationis eẽ tertiæ correptæ hoc loco, adſtipulante (ut dixi) codice manuſcripto. Probi uerba ſi quis deſideret, ſunt hæc: Quidam, inquit, putant hoc uerbum (de pario loquitur) tertiæ productæ, id eſt, quartæ eſſe, ſed errant.* Nam *infinitum perpetuum modum* Terentius *poſuit,* Parĕ*re hic diuitias. Quòd ſi eſſet tertiæ productæ, ri habuiſſet ante re ſyllabam, parîre. Præterea re utraq; correpta eſt. nam ſi produxeris, erit ſecundæ coniugationis parêre, ueniens à uerbo parco es. ut* Virgilius: *Pâret amor dictis charæ genitricis. Ita probus, ſatis quidẽ planè (ut opinor) ſatis diſertè.* Nec *ſignificatio uerbi, quin ſic legi poſsit repugnat.* Nam *eſt parĕre interdum idẽ, quod acquirere, comparare: unde illud* Næuij: *Male parta male dilabuntur. &* Teren. *Haud exiſtumans quanto labore partum.* NOS NE *(ut quimus (aiunt) quando ut uolumus non licet.) Hîc ego contra omnium exemplariũ fidem,* Donati *autoritatem ſequutus, ita legendum cõtenderim;*

Parere, ꝑ acquirere uel comparare.

tenderim: Nóſne? *Sic,ut quimus,aiunt,&c.* Hoc modo *enim(ut alia omittam)*Donatus, *qui illud ſic ſignificatiuum eſſe ait languoris cuiuſdam et lĕtitudinis.* Citat *eodem modo Priſcianus alicubi, ut uetus editio habet: nec aliter legendum intelliget,qui rationem carminis conſuluerit,niſi quis catalecticum eſſe malit.* Quantum *autem detractum de elegantia ſententiæ, omiſſa illa ſic particula,quis tandem non uideat? utitur eá in* Phormiõe *eodem planè modo,quum inquit:* Quid rei *gerit?*Ge. *Sic tenuiter,ubi* δεικτικῶς *&* *cum aliquo geſtu dicendum illud ſic, ut adnotauit* Donatus. TVM *ipſam diſpoliare non licet.)* In *manuſcripto uolumine eſt, non libet, id quod mihi ſanè magnopere placet, præſertim quum eodem modo exemplar è bibliotheca* Dominorum *ab* Haſſenſtein. Quamuis Don. *legiſſe uideatur,non licet.nam adnotauit locum eſſe ab honeſto,quod nõ erat quur faceret,ſi libet legiſſet.* Hic *ego iudicium meum non interponam. Lector quod ſibi uidebitur, ſequatur.*QVIBVS?Ch. *ab rogitas? perpuliſti me.)In manuſcriptis eſt,at rogitas?conſentientibus impreſſis quibuſdam.*INCEPI *dum tulit res.)* Manuſcriptum *habet:*Dum *res tetulit.* Quædam *ex impreſſis retulit,ut &* Venetũ *&* Lugdunenſe. Don. *adnotauit compoſitum pro ſimplici eſſe poſitum, & altius quàm deceat* Comicum *characterem dictum uideri.* METVO *ut ſubſiſtat hóſpes.)* Legitur *ad hunc modum in omnibus fererecentioribus.*Nos *uerò ex manuſcriptis, ut ſubſiſtet hoſpes,expoſcente idem carminis*

Elegãs ſic particulæ uſus.

EXQVINTO Actu.

C V ratione

ratione. Citat eodem modo hunc locum Adrianus De modis latinè loquendi. ADVENTVM *ad tempus.) Omitto ad ex obſeruatione ueterum exemplarium, cõſentiente cum his* Donato. QVVM *ego poßim in hac re medicari mihi.)* Erat *in quibuſdam, uelut* Lugdunẽſi *&* Veneto: *Quum egomet poßim, addita met ſyllaba adiectitia per porrectionem, quam* Græci ἐπέκτασιν *uocant uel* παραγωγὴν, *cuius meminit* Priſc. lib. XII. *quod ut aptius ad ſenſum quadrat, ita uerſus planè reſpuere uidetur. Si iudicium requiras meum, priorem lectionem ſynceriorem eſſe puto: licet poſteriorem habeat exemplar è bibliotheca* Haſſenſteniana. TVVS *eſt nunc Chremes, facturũ quæ uoles ſcio eſſe omnia.) Poſſet abſque detrimento carminis omitti* τὸ *eſſe, quẽadmodum quædam exemplaria habent, ſed hîc nihil tamen mutare auſim.*

EX EVNVCHO.

EX PROLOGO.

Thenſaurꝰ pro theſaurus.

ATQ*ue in thenſauro ſcripſit.)* Don. The*ſaurum, inquit, latini ueteres ſecundum græcos ſine n litera proferebant, Quibus è uerbis ſuſpicari quis poßit, hoc loco Thenſauro legendũ eſſe, qũo recẽtiora exẽplaria habẽt, quod idcirco admonendũ putaui, ne quis paulo rudior prima ſtatim frõte primoreq́; aſpectu, q̃d hæc ſibi uelit dictio, miraretur. Tãetſi (nè q̃d dißimilẽ) ex manuſcriptis alterũ, à theſauris habet, alterũ à theſauro. Sed de hoc quiſq; ut uolet, iudicet.* QVAM *ille qui petit, unde eſſet thenſaurus ſibi.)* Nos, *Quã illhic qui petit, unde is ſit theſaurus ſibi. Ita enim manuſcriptus codex, & de impreßis, q̃ emẽdatiores cæteris uidẽtur.*

Porrè

Porrò illhic pro ille pōitur, particula Comicis crebro in uſu, nec adeo frequēs in cæteris autoribus. Terē. *in An.* Illic ē *huic rei caput.pro ille.* De hoc Priſli. XII. *Similiter iſthic pro iſte interdū accipitur, ut in Heau. Qui iſtic mos ē Clitipho? In Phor. Quid iſtic narrat? pro iſte. Sic aliás apud eundē.* NEQVE *perficies naui ter.) Sunt exēplaria, quæ hoc loco habeāt pertendes, quod mihi uehemēter arridet. Vtitur eo et aliás* Ter. *uelut in Heau. quū inqt: uideo nō licere, ut cæperā hoc pertēdere. Eodē mō Proper. in* II. *Quòd ſi pertendes ſio ueſtita cubare, Sciſſa ueſte meas experiere manus. Verū utrocūq; mō legeris, ſeu perficies ſeu pertēdes ſnīa probè cōſtabit, ut & uerſus. Nos relinqmus uulgatā lectionē.* PROin *taceri ſi uis.) Nos, Proin tu taceri ſi uis, uera dicito: ex antiqs. Nec aliter Do. ut quidē* Rom. *editio habet.* IN *Cariā eſt profectus.) In qbuſdā impreßis additū ē aduerbiū loci hic, Sed hoc forſan uix dignū q̄d admoneatur, nec ita multū refert, addas nec ne.* SINE *illū prioreis parteis per hoſce aliquot dies.) Nos omittēdā putamus præpoſitionē per, ex manuſcriptis et Don. citra detrimētū uerſus.* AVT *mox noctu te adigēt horſum inſomnia.)* Monet Don. *legi & adiget, ut ſit inſomnia nūeri ſingularis, q̄ noīe* Gel. *quoq; pro uigilia utitur li.* VI. *ca.* 4. NIMIS *mihi indulgeo.) Sic quidē uulgò legitur, habentq; ita magno conſenſu exēplaria recētiora: ſed cōtamīata uera lectiōe, cōtra oēm ueterū codicum fidē. Nos igitur. Nimis me indulgeo: ut* Do. *legit, q hoc mō ueteres loqui cōſueuiſſe hoc*

Illhic pro ille.

Iſthic pro iſte.

EX PRImo actu. Pertēdere.

EX SEcundo actu. Iſomnia ἰνσὰς poſitū pro uigilia.

Me indulgeo pro mihi.

ipſo

ipſo loco teſtatur. Conſentiunt pleraq; ex impreßis, uelut Lugdunenſe & Venetum. Antiquitatis imperiti & ignari hunc locum (ut alia in Terentio multa) deprauarunt. INTEREA *loci ad macellum ubi uenimus.) Manuſcriptus codex, & de impreßis Venetus, Lugdunēſis, plæriq; alij habēt, ubi aduenimus. Id quāq̃ nullius propè momenti, admonendum tamen putaui. Amplectatur quiſq;, quod ueriſimilimum ſibi uideatur, Sequentes duos uerſus ſic leges:*

Concurrunt læti mi obuiā cupedinarij, cetari,
Lanij, coqui, fartores, piſcatores, aucupes.

Auceps etiā dici contra Probi ſententiā.

Hæc, niſi fallor, uera lectio eſt. Probus adnotauit Poëtā hic aucupes numero plurali dixiſſe, unde docuerit ſingulari quoq; aucupes dicendum, alióquin aucupetes dicturum fuiſſe, Errare igitur, qui auceps dicat. Sed (quod pace Probi dixerim) utitur hac uoce auceps & Plaut. in Aſin. & Cic. in de Oratore, & Oratius alicubi, ut cæteros primæ notæ ſcriptores omittamus. SECTARI *iußi, tanquam philoſophorum. &c. Hic deſunt duo uerba. Leges igitur. Sectari iußi, Si potis, uel (quod idem ſignificat) ſi pote: quomodo habet manuſcriptum exemplar, & uetuſtißima quæq; ex impreſſis, nec aliter ſanè uerſus conſtat. Eſt autem tetrameter catalecticus.* PARASITI *ita ut Gnatonici uocentur.) Nos ex antiquis, Itidem ut Gnathonici &c. Verborum, ut opinor, ſimilitudo effecit, ut typographi ita pro itidem impreſſerint. Quare incuria magis q̃ inſcitia locum deprauatū crediderim.* VIDEN' *ocium & cibus*

cibus quid faciat alienus.) Sunt exemplaria quæ ha-
beant, quid facit, uelut Lugdunenſe & alia quædam.
Monuit Don. legi &, quid facit, ut ſit figura per mo- Modi enal
dos, pro quid faciat. Sic in Adel. Nunc uide, utrum uis lage.
argentum accipere, an cauſam meditari tuam, pro ui-
de utrum uelis κατὰ ἐναλλαγὴν modi. Nam huiuſmodi
interrogatiuæ particulæ quid, an, utrum, ſiquando infi
nitæ fiant (ut fit interdum) tūc ſubiunctiuum modum
aut potentialem poſtulant, uelut in And. Scio quid co-
nere. & alibi, Dic quid uelis. Vtrunq; igitur hîc legi
poteſt, & quid facit, et quid faciat. IICE HOC *mune* Hiſce noīa
re arbitrãtur.) Nos, Hiſce hoc munere etc. Priſ. enim, tiu' plura
inueniuntur, inquit, etiam nominatiuum pluralem hi- lis antiqu'.
ſce proferentes antiqui. ut Terentius in Eunucho, Hi-
ſce hoc munere arbitrãtur ſuam Thaidem eſſe, in quo
uidentur euphoniæ cauſa s interpoſuiſſe. Eodem modo
legit Don. monetq; uetuſtè eſſe poſitum, nec aliter ma-
nuſcriptus codex. VRO *hominē. Par. ut falſus?)* Sunt Falſus ani
exemplaria in quibus deſideretur genitiuus animi, quē mi.
addendum eſſe cum carminis ratio docet, tum è Dona
ti commētarijs liquet, qui ἀντίπτωσιν eſſe ait ueterum
pro animo, quale illud Virgilij, O præſtans animi iu- Pręſtans
uenis XI. Aen. Falſus autem animi, uel quòd putet hu- animi.
iuſmodi munere capi poſſe Thaidem (ut Don. ait) uel
(ut ego ſentio) q̃ ſe Parmenonē urere magnopere cre-
dat. Huic lectioni ſuffragantur uetuſti codices. TV
profectus aliô fueris.) Perperam quibuſdam in exem-
plaribus legitur profecturus, quū ſecus legendū uetu-

ſta exem-

ſta exemplaria doceant. Profectus *aliô fueras, id eſt, aliô proficiſci pararas. Eſt enim eiuſmŏi loquutio, qualis illa apud Liuiū lib.* V. Dec. IIII. *Quintius quô profectus erat,* Demetriadē *cōtendit. Sic et aliâs idem. Similiter* Plaut. *in* Aul. *Nūc quô profectus ſiem, ibo. id eſt, quô proficiſcebar, uel proficiſci ſtatueram.* QVA *inſiſtam uia?)* Don. *teſtatur utrunq; legi, quā inſiſtā uiā, & qua uia.* Vtrunq; *etiā in exemplaribus inuenio. In manuſcripto tamen eſt, Quā inſiſtā uiam? quo* Virg. VI. *Aen.* Nulli *fas caſto ſceleratū inſiſtere limē, ubi Serui. adnotauit addi huic uerbo tū datiuū tū accuſatiuū. Eodē modo* Plaut. *in Captiuis: Próinde omnes itinera inſiſtant ſua. Idem etiam uerbo inſtare accuſatiuū adiunxit in Aſinaria,* Rectam *inſtas uiā, inquit.* TVM *autem, qui illum nō floccifecerim.)* Hic *locus, niſi fallor, ex his eſſe credi poteſt, quos ſciolorum quorundā deprauauit temeritas & inſcitia.* Donatus *omiſſa negatione legit:* Qui *illum floccifecerim.* Deeſſe *autem ait particulam uel, ut ſit:* Qui *illū uel flocci fecerim: perinde quaſi nihili pendere & ne flocci quidē facere debuerit, ob quod acutè ſubtiliterq;* Donatus: Flocci *facere, inquit, & contemnere & non contemnere ſignificat, ut nunc:* Quæ *doctiſſimi interpretis uerba quum non omnes intelligere exiſtimem, paucis in tranſcurſu declarare uiſum eſt.* Flocci *facit igitur, qui aliqua ex parte contemnit & uilipendit.* Nam *floccus particula eſt lanæ, quæ inutilis à uellere diuellitur atque euolat, aut certè ſimile quiddā, ſi non prorſus nullius, at minini pro-*

Inſiſtere uel inſtare uiam.

Donati locus.

Floccifacere.

Floccus.

ni profectò momenti, & quod ne uicioſa quidem nucē emeris. Itaq; *qui floccifacit, contemnit ille quodammo do, ut dixi, & parui æſtimat, ſed non pro nihilo tamē omnino putat: quum floccus, utcunq; parui ponderis res, haud utiq; nihil eſſe uideatur.* Hoc modo Terentius *hic uſus eſt, ob quod* Donatus, *Duas uult, inquit, cauſas eſſe, quur ſeipſum dij perdant. unam, quòd reſtiterit: alteram, quòd ſenem peruerſitus diu remanſerit à perſequenda uirgine.* Hæc ille: *ubi peruerſitum eſſe ſenem ſignificat flocci feciſſe.* Cæterum *qui ne flocci quidem facit, is planè nihili pendit, pro nihilo habet, denique uſqueadeo nullius precij iudicat, ut ne pili quidem aut teruntij (ut* Plautus *ait) facere uideatur, quo modo* Terentius *actus tertij Scena prima uſus eſt, & alioqui exempla paſſim obuia ſunt.* Perperam *igitur additum illud non aduerbium, quod nec ſenſus requirit, nec deſiderat tetrameter.* ECCE AVTEM *alterum.)* Laurentius Valla *libro ſecundo alter hoc loco ſcribi debere non alterum cenſet, idq;* Donato *quoque probante.* Exemplaria *ferè habent alterum, ut & manuſcriptum.* Ex *impreſſis quædam alter, uelut* Argentoratenſe *&* Venetum. Nobis *lectio* Vallæ *non diſplicet.* QVVM IN CEL*lulam ad te patris penum omnem congerebam clanculum.)* Hoc *modo legit* Priſcianus *libro* V. *ubi nunc exemplaria ferè, penum omne.* Quanquam Don. *quidem utrumlibet, & omnem penum, & omne legi poſſe adfirmat.* SI ADEO *digna res eſt.)* Nos, *Siue adeo.* Ita *plerique*

que codices uetuſti,& præterea Don. qui adnotauit illud ſiue abundare,& pro expletiua cõiunctione mo dò eſſe. VBI TV neruos extendas tuos.) Donat. legit intendas,quomodo in antiquis etiam reperio. pro eo quod eſt,ubi tu omneis expromas uires, & ſumma ui ſummoq; ſtudio adlabores atq; adnitaris. Cicero ferè contendere neruos dicere ſolet,ut in XV. Epiſt. & II. Verr. VINCTO pectore,ut graciles ſient.) Probus nobilis grammaticus legit:ut gracilæ ſient. atque ita prorſus legendum docet,nam inter alia, Hoc inquit, ſcire debemus,quòd omnia nomina latina lis terminata cõmunia ſunt duorum generum.ut hic & hæc facilis,hic & hæc gracilis,imbecillis. Sed Teren.nouè,ut gracilæ ſient,à nominatiuo ſingulari hæc gracila. Nã ſi à nominatiuo lis terminato poſuiſſet nominatiuum pluralem,les terminabat, graciles. Tale eſt Saluſtianum illud,imbecilla ætas pro imbecillis, & hoc Virgilij:Gẽs effrena uirûm.pro effrenis. Sunt id genus alia pleraq;,in quibus per enallagen inflexio uariatur. At Donatus(dicet aliquis) à ſingulari gracilis hæc uenit declinatio,inquit? Imò hercle hinc nos planè conijcimus,uerum eſſe quod adnotauit Probus. Hoc enim mihi credas,ſi graciles legiſſet Donatus,nihil hic eum adnotaturum fuiſſe:Quis enim neſcit graciles à ſingulari eſſe gracilis? Non de eo ſanè quiſquam dubitat, non hercle magis, quàm dulces eſſe à dulcis. Ea demum ferè adnotare ſolet Donatus,quæ rarius occurrunt in autoribus:quale eſt gracilæ nouè à Terentio dictum (ut mo-

Neruos extẽdere, intẽdere,cõtendere.

Gracilę nominatiuus pluralis à ſingulari hæc gracila.

Donati locus.

(ut monuit probus) à fœminino gracila κατὰ ἐναλλαγὴν declinationis. Quocirca quum Don.*quoque ſic legeret, putauit hoc ſibi adnotandum, itidem ut* Probus. *Sed correctores iſti librorum id non animaduertētes, quum ſuſpicarentur* Donatum *corruptum, ſuarũ eſſe partium duxerunt locum eum ſuæ reſtituere integritati, atque ita quod rectum erat deprauarunt: quod et aliâs hoc in autore factum ſuo tempore admonebimus. Teſtatur autem &* No. *Marcellus gracila pro gracilis dictum eſſe à Lucilio Satyrarũ lib.* VIII. PATRIS *cognatũ atque æqualem Archidemidem Noſtin's?) Hæc uera (ut opinor) lectio. Cæterum manuſcriptum exemplar Archimenidem habet, ſed mendoſè: quanquam eodem modo alterum quoddam & ipſum calamo deſcriptum, ſicut & Haſſenſtenianum, aſtipulantibus ex impreſſis Veneto, Lugdunenſi, pleriſq; alijs. Anſam errori dedit (ni fallor) Virgilianus ille Achæmenides nomine haud multùm diſſimili. aut certè Archimedes ille Siracuſanus, notior uidelicet quàm hic Archidemis. Ludit Plautus feſtiuiter more ſuo in Bacchidibus, quum uelut à demendo Archidemidem dictũ innuit his uerbis: Adeon' me fuiſſe fungũ, ut qui illi crederem? Quũ mihi ipſum nomen eius Archidemidis Clamaret ademptum eſſe, ſiquid crederem. A Plauto autem Archidemidem hũc ſumpſit Terentius.* SEX *uel ſeptẽ prorſum non uidiſſe proximis.) Sic quidem uulgò. Nos omiſſa coniunctione uel, legendum ſuſpicamur: Sex ſeptem prorſum &c. Ita enim exemplar manuſcriptũ,*

D & al-

et alterum illud,cuius copiam nobis fecere Domini ab Haſſenſtein.Nec aliter ſanè metri ratio cōſtat. DVM hæc dicit,abijt hora.) Manuſcriptus codex habet: Dū hæc loquitur.Quod autem ad ſenſum pariter & carminis rationem attinet, parum refert utrum legas. QVEM mercatus eſt heri, ſenem, mulierem.) Sunt exemplaria quæ habeant herè pro heri: cuius aduerbij meminit et No. Marcellus VIII. & Fabius lib.I.cap. XII.Herè(inquit)nunc e litera terminamus: At ueterum Comicorum adhuc libris inuenio:Heri ad me uênit,quod idem in epiſtolis Auguſti,quas ſua manu ſcripſit aut emendauit,depræhenditur. Hæc Fabius.Reperitur idem apud Plaut.in Amph. & apud Iuuenalem Satyra prima:Res hodie minor eſt,herè quàm fuit atque eãdem cras Deteret exiguis aliquid. Meminit huius Priſcianus etiam libro XV.Don.quoque in Phormionem:Propter cognationem(inquit)e & i literarū non dubitauerunt antiqui & herè & heri dicere, & manè & mani,& ueſpere & ueſperi.De hac adfinitate literarum nonnihil Gellius libro X.cap. XXIIII. DABO operã,adiuuabo,núnquid me uis?)Nos: Núnquid me aliud uis?ex Donato, & manuſcripto exemplari,& quibuſdam impreſſis. ISTHAEC in me cudetur faba.) Nos: Atènim iſthæc in me &c.ex Donato, & ex fide codicum ueterum, idem expoſcente & ſenſu & carminis ratione. QVID iſtic?ſi certum 'ſt facere,faciã.) Nos:Quid iſthuc?ſi certum 'ſt facere, facias.Ita manuſcriptum uolumen, nec aliter Don.cuius

Here pro heri.

hæc

hæc ſunt hoc loco uerba: Quid iſthuc? aduerbium eſt ægre concedentis. Facias, pro facito. Verùm, deeſt uide. Hæc ille. Quid? quòd ſic aptius cohærent quæ ſequuntur: Ne pòſt conferas culpam in me. Quis hîc nõ uidet totum locum à correctoribus iſtis deprauatum? Sed pergamus. IVBéſne. Ch. iubeo, cogo, atq; impero.) Vetuſta exemplaria habent: Immò cogo atq; impero. Citat eodẽ modo No. Marcellus: ut quidem habet Venetũ exemplar, diſſentiente Brixiano. Sed enim quin alterũ illud elegantius ſit, non cuiquam eſſe poteſt dubium, qui ſit iudicij acrioris. Relinquimus igitur uulgatam lectionẽ. QVI habet ſalem, qui in te eſt.) Nos: quod in te. Ita enim Donatus, Seruius, Acron, Priſcianus, No. Marcellus, alij, ut mirũ uideatur ſecus quoſdã legiſſe, contra tot grammaticorum uelut conſpirantiũ conſenſum. Interpretantur autem quod, quæ res. Eodem modo habent peruetuſti aliquot, quum deſcripti, tum excuſi typis codices. Eraſmus in poſtrema Chiliadum editione, qui in te eſt, legit, ſed aliter in ſuperioribus, próinde quaſi hoc demum rectius ſit. QVID ais, inquã, homo impudens.) Hic locus unius literæ omiſſione deprauatus eſt. Legẽdum eſt enim, Quid agis, inquam, ut & manuſcriptum habet exemplar, & ex impreſſis Venetũ. Atque hoc ſanè modo aptius etiã quadrant, quæ ſequuntur, Lepus tute es, & pulpamentũ quæris. Qui locum deprauarunt (niſi ſi incuria magis corruptum credere libet) ij uidelicet reſpexerunt ad illud quod proximè præceſſit, Et me irridere. DENI-

EX TERTIO ACTV.

que Par pari referto,quod eã mordeat.)Nos:Tu par pari referto &c.Sic enim plæraque non peſſimæ fidei exẽplaria(ut apparet)ſed quæ ſine ullis mẽdis eſſe,ipſe qdẽ cõtendere nõ auſim:inter quæ etiã Lugdunẽſe et quoddã Lipſicũ,qbus cũ ratio metri conſentit. Et quũ antè toties repetierit illud tu.uelut:Tu Pamphilã cõti nuò. et tu Pamphilã cantatũ prouocemus. et Tu heus cõtrà &c.aptè hic quoq; repetere uidetur. Ser. in ex plicatione illius Virg.I.Aen.Quando hæc te cura re- mordet:hũc locũ citãs legit: Quod eã remordeat. Ve rùm haud ſcio,an ſit memoriæ lapſus: quãuis eodẽ mõ habeat exẽplar manuſcriptũ è bibliotheca Dominorũ ab Haſſenſtein. Et mire quadrat ad illud,quod proxi- mè antecedit: Tu par pari referto. EHEM Parmeno Bene feciſti,hodie itura.)Nos:Bene pol feciſti:ita nãq; Don. nõ refragãte ueterũ codicũ fide,nec carmĩis rati one.In hodie contrahitur die unã in ſyllabã. QVEM ego eſſe puto infra oẽs &c.)Nos:Tacẽ tu, quem ego eſſe infra infimos oẽs puto Homĩes. Sic conſentiũt ue tuſtiſſimi quiq; codices, cunq; his Don.ut rationẽ car minis omittã,quæ idẽ expoſcit. Perperã igitur inuer ſus fuerat uerborũ ordo. Dicitur autẽ (ut hoc obiter explanẽ)infra infimos oẽs eſſe, qui ſit longè abiectiſſi mus omniũ: quo mõ Oui.in V. Triſti.Nõ adeo cecidi, quamuis abiectus,ut infra Te quoq; ſim, inferius quo nihil eſſe poteſt,id eſt, quo uilius & magis abiectum nihil.Cicero III.De legibus:Homo omnium infimus et ſordidiſſimus. AIT rem diuinã feciſſe ſe:)Nos ex anti

Infimus.

quis

quis omiſimus illud ſe pronomen: quod & ſenarius re ſpuit: & additũ appâret à ſciolis iſtis omnia ſuis gloſſis contaminantibus. RVS *Sunij & quod habeam, & quàm longè à mari.) Nos ex manuſcripto & plæriſq; alijs legimus:* Rus *Sunij ècquod habeã? pro nunquod.* Et *paulò poſt: Ecqua inde parua periſſet ſoror? Rurſus ibidem:* Ecquis *poſſet eam noſcere? pro num aliquis. Atq; hæc uera lectio eſt.* IDque *adeo uiſam ſi domi 'ſt.)* Manuſcriptum *exemplar habet: Ibo ad eum, uiſam &c. quẽ cũ faciũt uetuſtiſsima quæq; de impreſſis. Sed nos nihil auſi ſumus immutare ob neſcio quẽ ſcrupulum.* Q*uamuis conſentiat &* Haſſenſtenianũ. *Cæterũ illud ſi hoc loco pro an ponitur: eſtq;* Græca *ἵνα καλῇ, pro uiſam an domi ſit.* QVI *me conſequatur quoquo eam.) Nos, qui me ſequatur, ut &* Don. *& libri emẽdatiores, inq; his manuſcripti.* Tametſi *alterũ illud mihi quidem non diſplicet, dũtaxat quod ad ſenſum attinet.* Haſſenſtenianũ *habet,* Qui *me ſequatur, quiq; iam rogitando obtũdat, enecet.* NEMO *eſt, quẽ ego magis nũc cuperem uidere quàm te.)* Nos *ad hũc modum ex obſeruatione uetuſtæ lectionis: Salue. nemo eſt omnium, quem ego magis nunc cuperem quàm te,* Nam *& perperam additum uidetur in recentioribus uerbum uidere, & omiſſus genitiuus omniũ, quẽ* Don. *quoque addit, ut &* Veneta *habet et* Romana *editio.* Iam *frequẽs eſt iſta apud bonos autores loquutio,* Te *cupio, ut ſubaudias uidere, uel mihi dari, uel ſimile uerbũ, ut* Cicero, Teip*ſum cupio, nihil opportunius potu* it ac-

Si p an. q modo Græcis ἵνα.

Te cupio.

it accidere. Tale fermè eſt illud ex Andria, Dauom uidco. nemo eſt quem mallem omniū. Quòd ad carminis rationem attinet, ſcito uerſum hunc probè conſtare. Miſcet autē hac ſcena Comicus Iambica cum trochaicis, quod facilè ſentit, qui harū rerum non prorſus rudis ſit. Tacitus ſis, citius audies.) Nos, taceſis. Alij, tacitus, citius audies, omiſſo uerbo ſis. ILLA ilico ubi me accepit, læta ad ſe adducit domum.) Nos, Læta uerò ad ſe abducit domum, ex Donato & manuſcripto exemplari. Et mire ad ſenſum facit particula uero, haud abſq; detrimento tum uerſus (eſt autem octonarius) tū elegantiæ in libris hiſce recentioribus omiſſa. Iam & uerbum ipſum abducit (pro quo ferè adducit nunc legitur) uenuſtius eſt magiſq; figuratum, quàm alterum hoc, quod indocti ſuppoſuere. Nam ſimilis hæc fermè loquutio eſt, atque illa apud Virgiliū IIII. Aen. Quô regnū Italiæ Libycas auerteret oras, quo de Seruium eo in loco uide. Eodem modo Terent. in Adel. Ad me abducta eſt domum. Sic ſæpe aliás. Et Plaut. in Amph. Ego huc ab naui mecum abducam Naucratem. Sed hoc ipſum quidem pòſt etiam in peruulgatis quibuſdam offendi. CONTInuò hæ adornant ut lauet.) Hic quoque ſciolorū temeritate uitiatus eſt locus. Nos igitur, Hæc adornant, ex Donato, conſentientibus uetuſtis codicibus. Eſt autem ἀρχαϊσμός: quomodo in Phor. Hæccine erant itiones crebræ? Monuit Don. in Andria etiā legi, Hæc nuptiæ non adparabantur mihi, ubi nūc, hæ nuptiæ, legitur. Sic enim ueteres dicere ſolitos:

Abducere ſbiuſus.

Hæc ꝓ hę, τῷ ἀρχαϊσμῷ nominatiuꝰ pluralis.

Quis

QVIS eſſet ſtatus flabellum tenere te.) Nos, Qui eſſet ſtatus, ut habent magno conſenſu codices uetuſti. Nec ſecus legiſſe uidetur Don. ut quidem omnes fermè cõſentiunt editiones. AN EGO occaſionem mihi oſtentatam, tam breuem &c.) Ex impreßis quædã habent, Mihi oſtentatam, tantam, tam breuem. Eodem modo legit Don. cuius hæc ſunt in hunc locum uerba, Vide (inquit) quanta dixerit, non uoluntatem ſed occaſionem: non animaduerſam, ſed oſtentatã: non hanc, ſed tantam: non anguſtam, ſed breuem: non adpetitam, ſed exoptatam: non repentinam, ſed inſperatam. Hæc ille. Metri tamen ratio repugnare uidetur, quô minus ſic legi poßit. Manuſcriptum uolumen, quod adhuc penes nos eſt, ad hunc modum habet, An ego mihi occaſionẽ Oſtentam, tantam, tam breuem, tam optatam, tam inſperatam. Ita & hic et ſuperior uerſus probè conſtat: Eſt autem uterque tetrameter catalecticus. Iam oſtentum participialiter poni pro oſtentatũ, adnotauit lib. XIIII. Sex. Põpeius. Et mehercle facilè crediderim ita legiſſe Donatum. nec enim temere addidit tantam. Exemplar manuſcriptum, cuius nobis copia facta à nobilibus Dominis ab Haſſenſtein, habet onſtentam, quô minus iam dubitandũ de hoc puto. SED tanto ocyus properemus.) Hæc non Antiphonis ſunt (ut recentiora exemplaria habent) ſed Chæreæ uerba. & quæ ſequũtur duo, Muta ueſtem, rurſus Antiphonis ſunt. Ita ex obſeruatione antiquorum, & in his manuſcriptorum, idem expoſcente ſenſu. DVM hæc reputo, Prætereo imprudens

Oſtentũ pro oſtẽtatũ.

EX QVarto actu.

imprudens uillam.) Nos, Dum hæc puto. ut in ueteribus libris habetur, ſuffragante Donato, qui ἀφαίρεσιν eſſe ait pro reputo. Virg. Multa putãs, ſortemq́; animo miſeratus iniquam. Putamus enim inſtantia, inquit, reputamus præterita. QVOD iſthuc nã monſtrũ fuit?) Nos ex Donato & antiquis: Quid iſthuc nam mõſtri fuit? tametſi ſenſus quidem & uerſus utrunq; patitur. VISE amãbo num ibi ſit.) In manuſcriptis non eſt particula ibi: Sed nec Don. addit, cuius uerba ſunt: uiſe amâbo, num ſit. Domi, inquit, ſubaudiẽdum eſt, aut num ſit quod dicis. Próinde tollendum cenſeo τὸ ibi: quod à ſciolo quopiam additum appáret uolente locum explicare. IAM faxo ſcies.) Hîc cætera ferè exemplaria habent, ſcias, quum prior lectio probè conſtet. ſic enim et in Phor. Iam hîc faxo aderit, inquit. Et Plaut. in Am. Mage iam faxo mira dices. Rurſus ibidẽ: Familiaris accipiere faxo haud familiariter. Sic aliâs ſæpe. SED nihil poſſe.) Nos obſeruatis ueteribus libris calamo de ſcriptis, & citatione doctorum: Sed nihil poteſſe; ut omittam, quòd ſic melius conſtet Octonarius. Quin et Priſ. monuit antiquos dixiſſe infinitiuo modo poteſſe, ubi nos poſſe, ſubiungitq́; hoc è Terentio exemplum, quo id comprobet. Reperitur poteſſe apud Plautum etiam in Ciſtellaria, & in Trucul. Vbi Dinarchus: An cenſuit, inquit, Cælare ſe poteſſe, grauida ſi foret? Præterea in Menæchmis. ITA iam ornabat fugam.) Sic nunc legunt omnes, neq; aliter legendum ſuſpicor. At Don. Adornabat fugam, inquit, ut ſuprà: Adornant ut

Modi enallage.

Poteſſe infinitiuus antiquus.

lauet. Habent eodem modo exemplaria manuſcripta, & item ex impreßis Venetum, Lugdunenſe, *Argentoratenſe, & alia quædam, ut de tanto omnium inter ſe conſenſu mirer.* Vtrum *legẽdum potius, alij iudicẽt.* VT *Quid egerim egomet neſciam.)* Ita *quidem uulgò, & (ni fallor) rectè, quãuis* Don. *ſecus legiſſe uideatur, uidelicet emerim pro illo egerim: quẽ cum faciunt plærique ex impreßis, & quidem uetuſtißimi codices, uelut* Lugdunenſis *&* Venetus: *ut de cæteris taceã.* NORAS *ne eum prius?* Do. *non.)* Et *manuſcripta exemplaria, & multo maxima pars de impreßis ſequentem uerſum hic habent:* Non, *nec quis eſſet unquam audieram dicier. Suſpicor autem eſſe adulterinum, & propterea nota quadam ſignandum, quô poßit à cæteris internoſci ac diſcerni.* Quanquam *loquutio illa, audieram dicier, reperitur etiam in Senarijs illis ænigmaticis apud* Au. Gellium *lib.* XII. *cap.* VI. *Præterea uerſus, cuius tandem cunq; ſit, ad unguem factus eſt: ſed neſcio quo pacto parum hic prolixitas decere* Eunuchum *uideatur.* AN ABIIT *iam à milite?)* Nos *ex antiquis: An ne abijt &c.* Leue *hoc quoq;, non tamẽ prætercũdum.* SINE *ut ueniat.)* Nos *omiſſa particula ut: Sine ueniat: ex* Donato, *& obſeruatione uetuſtæ lectionis.* QVI *ſi illam digito attigerit.)* Nos: *Atqui ſi illam digito &c. quo modo omnia uetera exẽplaria cõſentiunt.* O MI *Chreme teipſum expectabam.)* Nos, *expecto, ut & manuſcripti habent codices, aſtipulantibus ex impreßis* Lugdunenſi, Veneto, *alijs plæriſq;:*

Eſtq́; ea haud dubiè uerior lectio. ET Habetur & re-fertur à me tibi &c.) Sic ferè exemplaria: & rectè quidem, quantum ex Donato conijcere licet. Verum Th. Linacer (ni codex mendoſus ſit) ita hunc uerſum citat: Et habetur & refertur à me Thais, ita uti merita es, gratia. cum quo conſentit manuſcriptum uolumē. ATAT, num formidoloſus obſecro es mi homo?) Nos atát tribuimus Chremeti, ut ſit timētis, quomodo habent libri emendatiores. Ita aptè ſequetur, quod ait Thais: Num formidoloſus obſecro es &c. EGON formidoloſus? nemo eſt hominum qui uiuat minus.) Pleraq; antiqua exemplaria, & in his Haſſenſtenianum, habent: Nemo eſt omnium, qui metuat minus. Verum alterum illud rectius eſſe credo, Nam ſic Plaut. quoq; in Aul. Homo nullus eſt ſceleſtior te qui uiuat hodie. Sic et aliâs ſæpe. CH. Melius eſt. Th. mane. Ch, omitte iam iſthic adero. Th. nihil opus eſt Chreme.) Nos ſic legendum putamus: Omitte, iam adero. Th. nihil opus eſt iſtis Chreme. Ita habet manuſcriptum exemplar: & rectè, ut ego ſentio. Perperā enim interiectum eſt aduerbiū iſthic, et omiſſum pronomē iſtis: quod ipſum Donatus addit omiſſo aduerbio. Eius uerba ſunt: Nihil opus eſt iſtis. Iſtis, inquit, utrum aduocatis? an iſtis omnibus quæ dixiſti? Sunt præterea exemplaria, quæ utrunq; habeant, & iſthic & iſtis: ſed tum minus conſtat trochaicus: quod facilè ſentiet, qui hunc in ſuos digerere uolet pedes. QVIN ABſtergerem uulnera.) Nos: Qui abſtergērem. Sic Priſc. nec aliter uerſus: ut nihil

Abſtergere interdū ſecūdæ cōiugatiōis.

nihil de ſenſu dicam, qui idem expoſcit. Eſt autem uerbum abſtergêrem in hoc uerſu coniugationis ſecundæ: eſt enim Quaternarius Iamb. qui ſtare nõ poteſt, niſi penultima uerbi huius producatur: ut adnotauit Priſ. Apud Qu. Curtium quoq; lib. IX. abſtergêri in ſecunda reperitur: ut & extergêri apud Mar. Varronem lib. III. de re ruſtica. SOLVS Sannio ſeruat domum.) Hæc lectio eſt in omnibus fermè exemplaribus, & impreſſis & calamo deſcriptis. Cæterum Donatus legit, Solus Sannio ſeruat domi. Eius uerba ſunt: Seruat pro remanet ut obſeruet. Nam ſeruat domũ rectum erat: non, ſeruat domi, ſi cuſtodit intelligeretur. Vel ſeruat, pro ſedet, ab eo quod ſequitur id quod præcedit. nam non ſeruat, niſi qui prius in eo loco ſederit. Hæc Donatus, unde colligitur, ſeruat domi, legendum hic eſſe. Quanquam & alterum illud probo, ut ſit pro eo poſitum, quod eſt, cuſtodit domum: quomodo Apuleius VI. Met. Ante ipſum, inquit, limen & atria Proſerpinæ ſemper excubans, ſeruat uacuam Ditis domum. Rectius eſſe puto, quod legit Don. ſed à ſciolis inſolentia ſermonis offenſis deprauatum appâret. VT HOſce in ſtruxit, ipſe ſibi cauit loco.) In antiquis erat: Ipſus ſibi cauit loco: quæ uerior lectio eſt, adſtipulante præſertim Donato. Fuit apud uetuſtiſſimos quoque magis in uſu ipſus quàm ipſe: ut teſtatur Quintus Palæmon, ubi de pronomine agit: & Priſcianus libro decimotertio. Ita in ANDRIA: Ipſus mihi Dauos, qui intumus eſt eorum conſilijs, dixit. Et alibi: Ipſus eſt, inquit,

Ipſus pro ipſe.

inquit. IDEM *hoc* Pyrrhus *factitauit.*) Nos: *Idem hoc iam* Pyrrhus *&c. quo modo manuſcriptum uolumen, & de impreſſis* Lugdunenſe. Nec *aliter ſanè* Don. Romæ, *& alter item* Venetijs *excuſus: ut omittam, quod idem* Octonarius *expoſcit. niſi nulla colliſione uti uoles.* SANE *quòd tibi nunc uir uideatur eſſe.*) Cætera *exemplaria ſic ferè habent: Sanè qui tibi nunc uir uidetur eſſe, hic nebulo magnus eſt.* In Veneto, *Lugdunenſi, & plæriſq; alijs deeſt uerbum eſſe. Sed prior lectio, ni fallor, uerior eſt, quantum ex* Donato *conijcere licet: qui adnotauit figuratam eſſe loquutionem, & præterea* ὑπέρβατον *intermixtum. Idem: Meretrix, inquit, fruſtra metuentem corripiens Chremetem: Sanè, inquit, quòd tibi nunc uir uideatur eſſe. & deeſt, non eſt, ut ſit:* Non *eſt quòd tibi nunc uir uideatur eſſe: hic nebulo magnus eſt. Sic & alibi: Si in platea hac te offendero poſt unquam, nihil eſt quòd dicas mihi: alium quærebam, iter hâc habui. periſti. ut ſit:* Non *eſt quòd dicas mihi. Hæc Donatus.* OMNIA *prius experiri quàm armis ſapientem decet.*) *Sic habet uera lectio: quam* Don. *quoq; agnoſcit, cuius uerba ſunt:* Quã *armis,* ἀνακόλουθον *pro quã arma: aut* ἔλλειψις *eſt, ſi ſubaudiamus agere. Hæc ille. Perperam igitur à quibuſdam adiectum eſt, uerbis: quod Venetus codex habet: ab alijs conſilio: quõ citat, aſtipulante exẽplari* Haſſenſteniano, No. *Marcellus: niſi quis Aldo erratũ adſcribere malit, qui eam uocẽ de ſuo adiecerit: quod & aliàs facere libenter ſolet, præſertim obſequundante ſen-*

le ſenſu,ut hoc loco. Videbatur enim ſimile illi, quod apud Libaniũ ait Menelaus: πρῶτον μὲν γὰρ τὰ δίκαια τῷ λόγῳ πειρᾶσθαι λαμβάνειν, ἀλλὰ μὴ τοῖς ὅπλοις ἐπιπηδᾶν ἀνθρωπινώτερον δήπουθεν. DIMinuam ego tibi caput.) Inoleuit hæc lectio, incuria magis typographorum, q̃ inſcitia cuiuſquam. Nos ex antiquis: Diminuam ego caput tuum hodie, niſi abis. Eodem modo Don. quod ex hiſce uerbis eiuſdem liquet: Ruſticius, inquit, dixit, caput tuum diminuam, q.d. diminuam tibi caput. Plaut. utroq; uſus eſt. Nam in Rudēte: Si præter hæc uerbũ faxis hodie, inquit, ego tibi cõminuam caput. Idem in Amph. Hac tegula tuum diminuam caput, ut cum dentibus linguam exſcrees. NE VIM facias ullam in illã. Th. ego eo ad Sophronam.) In hoc Trochaico integrum deſiderari pedem, quis tam ἄμουσος, quin ſtatim ſentiat? Legendum igitur ad hunc modum ex ueterũ codicum obſeruatione: Ne uim facias ullam in illam. Thais, ego ad Sophronam eo. Sunt qui hæc poſtrema Thaidis eſſe uerba putarint, & propterea per haſce literas, Th. notarent loquentis perſonam, ſed errarũt. Sunt enim Chremetis uerba: quod ex Donato liquet aſtipulantibus antiquis exemplaribus, idem etiam expoſcente ratione metri. Don. hoc loco: Ego ad Sophronam eo. hoc, inquit, lentius dixit ad Thaidem Chremes. Ita ille, ut exemplar habet Venetum, Argentoratenſe, Moguntinum: In Romana deprauatus eſt hic locus. Iam uero nutricem à Chremete fuiſſe non à Thaide adducendam, quis non uidet? id quod Chremes facit act.

cit act.V.ſc.III.Vnde Thais poſtea:Iam frater ipſe heic aderit uirginis.Nutricē accerſitū ijt. Porrò uerſus ab hoc tertius ſic legendus eſt:Satin' hoc eſt tibi? Thr. Idem hoc tu ais Thais? Th. quære qui reſpondeat.Sic manuſcriptum:nec aliter metri ratio. Omiſſum eſt in recentioribus quibuſdam nomen Thais, & inuerſus nonnihil uerborum ordo. QVID facerem? ita ut iuſsiſti,ſoli credita eſt.) Haſſenſtenianum exemplar habet:Ita ut tu iuſti,ſoli credita eſt:quam eſſe puto ueram lectionē.Nam & Don.Iuſti,inquit, συγκοπὴ ἢ μεταπλασμὸς,pro iuſsiſti.HERA mea tace obſecro, ſaluæ ſumus.) Nos ex obſeruatione Lugdunenſis exēplaris, quod tamen plurimis interdum ſcatet mendis : Hera mea tace tace obſecro,ſaluæ ſumus. Nec aliter carminis ratio cōſtat: Et mirè ad ſenſum facit iſta repetitio uel potius cōgeminatio uerbi.In eodem ſic,quæ proximè ſequuntur,reperi:Habemus hominem ipſum . Th. ubi is eſt?Py.hem ad ſiniſtram,uiden'? Th.uideo. Py. compræhendi nunc iubē,quantum potes.Conſentit c. illo exemplar Argentoratenſe,& alia plæraq; . Ver (ne quid diſsimulem)uidetur mihi aduerbium nunc a aliquo inſulſo & temerario caſtigatore ad explen metri hiatū interiectū: qui non ſenſerit uerſum pr bè ſtare,ſi legas uidésne, uti particula ne addatur initium inſequentis,& omittatur nunc: quod nec h bent manuſcripti codices , nec magnopere ad ſent tiam facere uidetur.Sed hæc cōiectura eſto. QVID li faciemus?) Sic codices omnes & calamo deſcript

EX QV in to actu.

ex

excuſi formulis. Priſ. *uerò legit:* Quid illo *faciemus? a-itq; pro illi poſitũ eſſe: quo apud* Ciceronẽ III. Verr. *Quid illo* Myoparone *factũ ſit, pro illi. & ,* Quid hoc *hoĩe faciatis?* Nos *nihil ſumus immutare auſi, qui nihil præterea ad probandum grauius firmiusq; habeamus.* VENIT, *ubi uidi, egomet in pedes, quantũ queo.) Sic quidẽ & manuſcriptũ habet, & multò maxima pars ex impreßis: quo modo ſi legas, erit primo loco procε leuſmaticus.* Citatũ *tamen rẽperi hunc locum ad hunc modum:* Ego *me in pedes, quantum queo: pro in fugã me protinus cõfero: uel, fuga me inde proripio: ut ſub audiatur do ſiue conijcio.* Reperitur *autem apud* Plautum *dare ſe in pedes pro aufugere, uel fugæ ſe mandare, ut* Cæſar *loquitur: uel (ut* Liu.*) capeſſere fugam & fugam petere.* Terentius *fugam facere dixit ſuperius.* Idem *ſimpliciter fugere dicitur.* CREDin' *te impune abiturum?)* Nos: *Impune habiturum.* Ita *uolumen* Terentianum, *cuius nobis copiam fecit uir nobilis & clarißimus* D. Guntherus *à* Bunaw Ep V. *non reclamãtibus alijs quibuſdam ſpectatæ fidei libris.* Sed *& poſtea:* Siquidẽ *iſthuc impune habueris: inquit.* Eſt *aũt impune habere idem q̃ inultum auferre: ut alibi* Terentius *loquitur.* VNAM *hanc noxiã mitte &c.)* Manuſcriptum *exemplar, cuius iam meminimus, habet ad hunc modum:* Vnam *hãc noxiam* Amitte. *ſi aliam admiſero unquam, occidito.* Eodem *modo alterũ quoddã & ipſum calamo deſcriptũ: cuius nobis copia facta à uiro doctißimo hũanißimoq;.* Io. Muslero: Quod *exẽplar, etſi*

Dare ſe in pedes.

Impune habere, p inultũ auferre.

plar, etſi innumeris propè ſcateat mendis, tamen uſui fuit pleriſq; in locis. Allatum ferunt in Germaniā ex Syria uſq;: Verū librarij inſcitia, & neſcio cuius interpretis temeritate multo deprauatiſſimum eſt: ut & illud, quod & olim nobis commodauit Nicolaus quidam Eribergenſis, homo & doctrina & integritate præſtans: quod nunc (opinor) domeſticum poſſidet Leonardus Natherus, uir mehercle quū eruditus, tum noſtri perſtudioſus. ſed ad inſtitutum. Donati exemplaria Italica habent hoc loco admitte, quo modo Argentoratenſe quoq;: unde ſuſpicor legendum amitte, quod per inſcitiā incuriamq; typographorum commutatū ſit in admitte, una adiecta litera: quod & aliâs factum deprehendi. Haſſenſtenianū habet ſimpliciter mitte: cætera ita ut alij manuſcripti codices, quorū iam meminimus. QVID ita uero abeam? Credo iſti quicquā etc.) Hîc multa deeſſe, quis nō tandem uideat? quum ex his uerbis nullus exiſtat ſenſus. Nos igitur: Quid ita uero? debeam (credo) iſti pœnas furcifero, ſi id fecerim, Præſertim quom ſe ſeruum fateatur tuum: ex Donato, cuius hoc loco uerba ſubijciam: Quid ita uero? abeam ſubauditur. Vero autem εἰρωνικῶς pronunciandum eſt. Sanè debere dicimur pœnas pro iniuria ei, cui iniuriam fecerimus: quas ſe non debituram CHEREA[...] ut furcifero dicit PYTHIAS, ſi illi cædem intulerit i[...] ſeruili habitu conſtituto. Si id fecerim, ſi inuolau[...] rim in capillum eius. Hactenus Donatus cui hoc a[...] dendum, illud uerbum credo εἰρωνικὸν eſſe hoc loc[...]
qu[...]

quomodo apud Græcos interdum οἶμαι*:quod diligenter adnotauit Budæus.* Ita Cicero *utitur pro Deiotaro:At(credo) hæc homo inconſultus et temerarius nō uidebat:quis conſideratior illo?quis rectior? quis prudĕtior?Sic idem ſæpe aliás.*Quid?*quòd aptius omnia, ſi hoc modo legas,cohærent.Alióqui quem tandem locum hîc habere poterat illa particula præſertim? Sed de hoc quidem aliorum eſto iudicium.* ET *quid ſi hoc quiſpiam uoluit deus ?*) Perperam *addita uidetur illa & coniunctio in recĕtioribus codicibus.*Nam *nec* Donatus *nec antiqua exemplaria habent,& uerſus reſpuit.niſi contrahatur quiſpiam in duas ſyllabas.* Quare *omittendă puto.*MOVE *uerò ocyus* Te *mea nutrix.*) τὸ *mea non eſt in manuſcriptis,nec in uetuſtiſsimis ex impreſsis.*Adnotauit Donatus *particulam uerò pro interiectione ſtomachantis hîc accipi: quæ aliás ferè ironiæ conueniat.* VIRGI*nem quam amabat,eam confici ſine moleſtia &c.* G. *Budæus ſic citat :* Virginem *quă amabat,eam confeci ut potiretur ſine moleſtia: cū quo faciunt pleraq; exemplaria,& quidem ea,quæ emendatiora alijs uideri poterant, uelut* Haſſenſtenianum: *Sed(nequid diſsimulem)illud,ut potiretur,antiquiſsimi quique codices non habent:et quum uerſus omnino reſpuit,tum* Donatus *ipſe omiſit:cuius hoc loco ſubijciă uerba,ut quæ eius fuerit ſententia, planius perſpiciatur:*Primò*(inquit) quaſi oblitus dicti ſuperioris,trăſit ad uirginē:*Deinde *addit cauſam ex abūdanti.* Quòd *ſi dixiſſet amorem confeci,poſſet intelligi confeci,expediui,*

Credo uerbū ironiæ accōmodatū,ut Græcis οἶμαι.

pediui,perfeci:at uerò uirginem confeci: quid intelli-gimus?niſi hoc unum, quòd inſultat Parmeno confe-ctam uirginem.q.d. ſuperatam atque deuictam.Nam propriè hoc uerbũ conuẽnit gladiatoribus his,qui gra uiſsimis uulneribus occubuerunt. Sic Cicero in Catil. Gladiatori illi confecto & ſaucio. Conuẽnit ergo ſer uilibus uerbis,uelut iocoſè uerniliterq; iactanti rem cõ fectam eſſe in puella uirgine,et non exhiberi Chæreæ damnum uel negociũ à meretrice auara. Ita Donatus. Mihi uidentur hæc uerba,ut potiretur, è margine,ubi adſcripta fuerint ad explanandum ſententiam,tran-ſlata perperam in contextum:id quod non rarò factũ uidemus ignorantia librariorum. Sanè exemplar ma-nuſcriptũ ea in margine tãtùm adiecta habet, idq; nõ eiuſdem,qui cætera exarauerit,manu.Conſimiliter in altero exemplari eodemq; peruetuſto irrepſit uerbũ ſurripui, ſed perperam:quod facilè ſentiet, qui modò emunctæ ſit naris. Sic enim habet: Quòd ei amorem difficilimum & chariſsimum à meretrice auara ſurri-pui. Voluit (credo) aliquis ſententiam abſoluere,quæ pendêre adhuc uideretur, atque ideo adiecit illud ſur ripui:id deinde irrepſit(ut dixi)in contextum.ID ue ro eſt,quod mihi puto palmariũ &c.)Nos addito pro nomine:Quod ego mihi puto &c.quomodo habent et manuſcripta & impreſſa quædã exemplaria:ut omit-tam, quod ad ſenſum momẽti aliquid facere uideatur τò ego. HARVM uidere ingluuiem, ſordes,inopiã.) Hæc uera haud dubiè lectio eſt.Cæterum ex manuſcri-

pti[s]

ptis exemplaribus alterum illuuiem habet, alterum in-luuiem. Credo librarium uocum ſimilitudine deceptũ illuuiem ſcripſiſſe, obſequũdante præſertim ſententia, quũ ſtatim ſequatur ſordes: cuius ſignificatio non multùm abhorret ab illuuiei ſignificatione. Eſt enim illuuies uelut ſqualor immundicieſq; corporis: quæ Græce ἀλουσία dicitur, Latinis itidẽ à non lauando dicta. Vnde Curtius IIII. Ablue corpus (inquit) illuuie æterniſq; ſordibus ſquallidum. Verùm, nequis erret, ingluuies ſignificat hoc loco uoracitatem. Sordes autem non propriè immundiciem corporis, ſed inopem miſerumq; uictum meretricũ ſignificat: quæ quum ſolæ domi ſunt, ſine ullo uitæ nitore lauticiaq; agãt. Id ita eſſe & præcedentia docent: Quæ dũ foris ſunt, nihil uidetur mũdius, Nec magis compoſitum quidquam, nec magis elegans &c. et illa ſequentia: Quã inhoneſtè ſolæ ſint domi atque auidæ cibi, Quo pacto ex iure heſterno panem atrum uorent. Opponitur autem ſordibus, quemadmodum hìc accipitur elegantia, ut quidem ea uoce antiqui utebãtur: de quo Gellius libro XI. capite II. Erat enim elegans lautus & ſplendidus, & qui nimis læto amœnoq; cultu uictúque eſſet. QVAE futura eſſe exempla dicunt in eum &c.) Nos uerbum eſſe omittimus, ex obſeruatione antiquorum uoluminum: nec aliter conſtat Trochaicus. A ſciolis perperam adiectum reor, ut ſæpe aliâs in Terentio, quod ſententiam putarent minus abſolutam, ni ille infinitiuus adderetur. NVNC minatur facturũ ſe id.) Nos ex collatione ſyn-

Illuuies, & Græcè ἀλουσία.

Ingluuies.

Sordes.

Elegantia, cuius contrarium ſordes.

certioris fidei codicum ſic depræhendimus legendum: Nunc minitatur porrò ſeſe id, quod mœchis ſolet. Suffragatur emendationi huic Donatus. *Quid autem* κατὰ ἔλλειψιν *deſit, idem indicat: Nūc minitatur, inquit, Bene minatur, ut ſuccurri poßit ei, qui non ſit paſſus. Minitatur porrò ſeſe: deeſt facturum. Quod mœchis ſolet: deeſt fieri. Ita ille.* AC NE *hoc neſciatis.)* Nos: *At ne hoc neſciatis: ſic enim & ſenſus expoſcit, et manuſcriptum exemplar habet. Præterea impreſſa quædam, uelut Lugdunenſe et Venetum.* NE *illi proſis, et tu pereas.)* Nos *addita particula, quæ deſiderabatur: Ne neque illi proſis & cætera ex* Donato *& antiquis uoluminibus: ut de ſenſu nihil dicam et ratione metri, quæ idem expoſcunt.* Deterret *enim* Pythias *ab introitu* Parmenonem, *quod nec interuentu ſuo quidquam proſit* Chæreæ, *et ipſe magnum inſuper uitæ diſcrimē aut capitis periculum ſit aditurus.* TV *iſti narrato omnem rem ordine.)* Manuſcriptum *exemplar habet: Tu iſti narrato omnem ordinem, ut factū ſiet: cum quo faciunt de impreßis* Lugdunenſe, Venetum, *alia pleraque.* Nec *cōſtat aliter uerſus. eſt autem* Trochaicus *catalecticus.* Hoc *admonendi cauſa tantum dixerim, nec enim temere quiddam de hac re adfirmare auſim: præſertim quum* Poëta *altero illo magis uti ſoleat. uelut in Adel. Hegioni cognato huius rem omnem narrato ordine. Et paulo poſt: Omnem rem modo ſeni, Quo pacto haberet, enarramus ordine. &c. Quanquam &* Haſſenſtenianum *habet: Narrato omnem ordinem: ut*

iam

*iam ita legendum eſſe,pro certo ferè adfirmare poßi- mus.*AN *in aſtu uenit?aliud ex alio malum.)* Hæc *ue- ra haud dubiè lectio eſt.Cæterum quod ad diſtinctio- nem attinet,mendum eſt tum in manuſcriptis, tum in impreßis quibuſdam, uelut Argentoratenſi, Veneto, plæriſq; alijs:in quibus iunctim legitur: An in aſtu ue nit aliud ex alio malum? quum ſit diuiſè pronuncian- dum,& ita diſtinguendum, ut non una ſententia eſſe uideatur,ſed duæ.*Nam *&* Donatus, *Aliud ex alio ma lum,hoc,inquit,ſeparatim dixit ſenex,fixis in Parme nonem oculis.Ergo:An in aſtu uenit?id eſt,uenitne in urbem Chærea de Piræo?* Nam ἄστυ *urbs dicitur:unde & aſtuta urbana interpretatur Aſc. Pædianus.Athe nienſes autem ſic appellabant urbem ſuam Athenas:id quod præter alios* Cicero II. *de legibus indicat,ubi a- it:Itaque quum ortu Tuſculanus eſſet,ciuitate* Roma*- nus,habuit alteram loci patriam, alteram iuris:ut ue- ſtri Attici, prius quàm Theſeus eoſdem migrare ex agris,& in aſtu(quod appellatur)omnes ſe conferre iußit &c.Iam quod ſequitur:Aliud ex alio malum:eã dem fermè ſententiam habet, quã Euclionis illud apud Plautum in Aul.Perij oppidò,ita mihi ad malum ma- læ res plurimæ ſe adglutinant. In manuſcripto neſcio quis margini adſcripſerat hoc loco: An in aſtu uenit aliud ex alio malum?q.d. Phædria malum exemplum Chæreæ dedit.O interpretes.Non magni quidem mo- menti hæc adnotatio, fateor: ſed tamen ne rurſus ab aliquo locus hic corrumperetur, præcauendum nobis*

Aſtu uocabãt urbem ſuã Athenienſes.

exiſtimabam: præſertim quum ex doctis quidã primæ ferè nominis in hoc lapſus uideatur: qui alicubi adnotarit, eos qui in urbibus degant, propter contagia negociorum & hominum aſtutiores euadere. Vnde ſit illud Terentij: In aſtu aliud ex alio malum uenit. Eſt quidem μνημονικὸν ἁμάρτημα, *credo: ſed multos tamen in errorem ſimilem pertraxit.* DEFESSA *iam ſum miſera de te ridendo.) Nos omittendam putamus præpoſitionem de, ex obſeruatione quorundam exemplariũ.* NVN*quam ædepol hominem ſtultiorem uidi.)* Manu*ſcriptum habet:* Nunquam *pol hominem &c. nec ſanè aliter* Donatus. TV *iam pendebis, qui ſtultum adoleſcentulum nobilitas.)* Quod *quidam codices habẽt denobilitas, id uerſus ratio reſpuit.* Eſt *autem* Tetrameter *catalecticus.* ET *iam hinc quidnam porperãs pro filijs?)* Nos *præſenti tempore proſilit legendum ſuſpicamur, ut & manuſcriptum habet, et uetuſtiſsima quæque de impreſsis.* Et *ad ſententiam aptius quadrat.* Cõ*ſentit* Haſſenſtenianum *nobiſcum.* CVI *tam ſubitò tot congruerint commoda.) Sunt codices qui habeant cõtigerint, quo modo manuſcripti omnes: nec aliter exemplaria* Donati, *quotquot ipſi quidem uidimus.* Nec

Cõgruere pñ dictũ.

tamen reijcimus uulgatam lectionem. Eſt *autem congruere idem interdum, quod conuenire, ut docet* Sex. Põpeius: *tractũ à gruibus, quod id genus uolucrũ (ut ille ait) minimè ſoliuagum ſit: quo in ſignificato* Poëta *utitur hoc loco.* AN *mei patris feſtiuitatem & felicitatem?)* Ita *in pleriſque perperam legitur, ijs etiam,*

quæ

quæ alióqui uideri poterant emendatiſsima: Nos uerò antiquorum codicum fidem ſequuti, loco poſterioris facilitatem ſubſtituimus: quod ipſum & ſententia poſtulat & carminis ratio.Eſt autem Tetrametrum.Legit hoc modo ipſe etiam Donatus adſtipulantibus manuſcriptis exẽplaribus, uno excepto Haſſenſteniano. Don.Feſtiuitas, inquit, in dictis:facilitas uerò in animo ac factis. FRATER *ubiubi eſt,fac quamprimum hæc audiat.)Perperam in quibuſdam omiſſæ ſunt duæ particulæ,tum tu:quæ initio ponendæ ſunt huius uerſus.nec enim aliter hic Tetrameter conſtat:ut omittã, quòd manuſcripta exemplaria ſic habent.* NIHIL *eſt Thaide tua dignius quod ametur.) Manuſcripta habent:Nibil eſt Thaide hac frater tua dignius & cæt. quomodo impreſſa etiam Venetum & Lugdunenſe: Eſtq; uera hæc (ut opinor) lectio.* MIHI *illã laudas.) Nos:Hui,mibi illam &c. quo modò quæ emendatiora cæteris uidentur,habent.* QVOD*uis donum & præmium à me optato.) Sic habent,etiam qui putantur emendatiſsimi ex codicibus recentioribus. Nos uerò omittimus coniunctionem et copulatiuam ex ſententia Donati : qui adnotauit iunctim hæc pronunciari, & (ut ipſe ait) συνθέτως,quaſi unam partem orationis.Vide Don. quẽ cum faciunt uetuſti codices. In eo,quod paulò antè præceſsit : Vt hæream in parte aliqua tandem apud Thaidem : quidam uelut in ſalebra (quod dicitur)hærent.Vt igitur in tranſcurſu hoc quoque oſtẽdam:In parte aliqua hærere,pro aliquo loco eſſe apud* Hærere in parte aliq apud Thaidem.

Numerus pro exiſtimatione & autoritate.

Thaidem, uel aliquo numero haberi accipitur. Nam numerus pro exiſtimatione & autoritate interdum ponitur. Senſus igitur eſt: Effice ut me aliquo numero habeat: ut aliquo apud ſe loco eſſe uelit. Verbo hærere eodem in ſignificatu utitur Liuius lib. V. ab V.C. Antea trina loca cum contentione ſumma patricios explere ſolitos: nunc iam octo iuges ad imperia obtinenda fore, & ne in turba quidem hærere plebeium quenquã, id eſt, ne in turba quidem rationẽ haberi plæbei cuiuſquam. Poſſet ſic quoq; intelligi: Vt hæream in parte aliqua tandem. Si amica mihi non licebit ſoli tota propriaq; potiri, quin et Phædriã ad ſe intromittat: perfice hoc precio, precibus, in parte ſaltem ea ut potiri liceat. ut ſit eiuſmodi fermè, quale illud Plauti in Aſin. Viginti minas ei det, in parte hac amanti ut liceat potirier: Argyrippus exorari ſpero poterit, ut ſinat ſeſe alternas cũ illo noctes hanc frui. Sic apte etiam quadrabit illud Gnathonis: Militem riualem recipiendum cenſeo. TV FORtaſſe quæ facta hic ſint neſcis.) Nos: Quæ facta hic ſient, neſcis: quo modo ferè in omnibus antiquis habetur. Sed tamen utrum legas, parum refert.

Siet ꝑ ſit.

Eſt autem ſiet plenum & integrum, ſit diminutũ & per ſyncopen conciſum: cuius M. Tullius meminit in De perfecto oratore. Vnde apud antiquos ferè prius illud legimus, rarius alterum. VT TVO amori ſuppeditare poßit.) In pleriſq;, uelut Lugdunenſi & Lipſico quodam, ut alia omittam, erat ſuppeditari, ſed perperam. Qui locum deprauauit, non ſenſit abſolutè

Suppeditare abſolute pro ſuppetere.

hic poni

hic poni ſuppeditare,pro eo quod dicimus ſuppetere, non deeſſe:quomodo Fabius:licet ſatis exēplorum ex lectione ſuppeditet,id eſt,ſuppetat. T.Liuius:*Manubiæ uix in fundamenta fani ſuppeditauere.* l.ab.V.C. Cicero l.ad Atticū:*Si unquam mihi* ἐπιχειρήματα *ſuppeditauerunt illo tempore.Sic & aliâs ſæpe.* Don. *tamē aut ſuppeditare pro ſuppeditari poſitū autumat, aut deeſſe ſe.ut Accingunt omnes operi.*NEQVE *melius prorſus neq; prolixius.)* In *quodam Argentorati excuſo(ni fallor)& in* Lugdunenſi *prorſum legitur: ſed utrumcunq; uoles, legas licebit.* Prolixius *hic (ut obiter explicem) liberalius atq; benignius ſignificat: quomodo* Cicero *identidē uſurpat. uelut pro* Flacco: *Id nō ſolū fecit,ſed etiam prolixè cumulateq; fecit.* Et *ad* Plancum:Honoris *noſtri cauſa libēter prolixè,celeriter facias.*In Aldinis *codicibus duæ particulæ ſuper ſunt. habet enim:*Non *prolixè,ſed celeriter facias:perinde uidelicet,quaſi hæc duo opponantur. Sed nihil minus.* Nam *paulò pòſt ad Capitonē ſic eâdem de re:tamen intereſt noſtra,*Plancum *hoc animo libenti prolixoq; facere.*Tu *in hunc modum,quomodo nos citauimus,tuum emenda.*SATIS *diu hoc iam ſaxum uorſo.)* Nos *ex antiquis & manuſcriptis uoluo legimus:tametſi alterum non diſplicet.*HVNC *comedendum & deridendum uobis propino.)* Hæc *uera lectio eſt : quod ex* Donato *liquet,qui hoc loco:*Propino . Facetè *, inquit,ſic dixit,ut paraſitus, & qui de conuiuio loqueretur.*Citat *eodem modo* No. Marcellus.*Produxit autem*

Prolixè, liberaliter & benigne ἢ ἀντὶ τοῦ ἐκτενῶς.

Ciceronis locus.

Propino primā ſyllabā producit.

ſem primam in uerbo propino, ne ſit Iambus in trochaico, quum alioqui breuis ſit: Sed & alij poſt Terentium produxerũt, uelut Martialis I. epigrammatum. Ex libris in membrana deſcriptis duo habẽt præbeo, non propino. Fuit, credo, qui uocabulum explanare uolens, in ſpacio quod uerſus dirimit, addiderit præbeo: Id librarij incuria irrepſit in contextum.

EX ΕΑΥΤΟΝΤΙΜΟΡΟΥΜΕΝΩΙ.

EX PROlogo. SIN LENIS eſt, ad alium defertur gregem.) Hæc lectio in manuſcriptis exẽplaribus eſt, & quibuſdam impreßis. Lugdunenſe tamen & Argentoratenſe habent ad hunc modum: Sin leuis eſt, ad alium mox defertur gregem. Priorem docti magis probare uidentur, quàm hanc poſteriorem lectionem: quæ mihi à ſciolis inuecta uidetur, id quod multis coniecturis aſſequor, quas nunc recenſere nihil opus. ISTOS raſtros

EX PRImo actu. interea depone tamen. Nos ex antiquis: At iſtos raſtros &cæt. AT QVID dixi habere me?) In manuſcriptis eſt: Ah quid dixi habere me? quod rectius & affectuoſius eſſe uidetur. Habẽt eodem modo quædam de impreßis. COEPI NON humanitus.) Quantum è Diomede coniectura adſequi licet, ſuſpicari quis haud immeritò poßit, legendum hoc loco humaniter, non humanitus. Is enim libro primo quum meminit aduerbiorum humanitus & humanè: Sed in hoc poſtremo, inquit, diſtinctio ſenſum mutat, ut ſit humanè ἀνθρωπίνως, ut eſt apud Terentium: Tamen uix humanè patitur, &

tur, & humanitus ἀνθρωπόθεν. *Dicitur & humaniter, ut idem Terentius ait: Cœpi non humaniter, neque ut animum ægrotum decuit, adoleſcentulũ tractare.* Hæc ille. Habet eodem modo codex Venetus, & quidam etiam Argentoratenſis (ut opinor) & ille deniq; ex bibliotheca Haſſenſteniana: Sed manuſcriptũ exemplar, cuius plerunq; fidem ſequor, humanitus habet: quare nihil facilè immutare auſim. Reperitur autem humanitus pro eo interdũ, quod eſt, humano more. uelut apud Plinium libro decimo capite ſexageſimotertio: Vrſi autem (ut dictum eſt) humanitus ſtrati, id eſt, more humano. Sic enim intelligendum eſſe, uel ex principio capitis triceſimoſexto libri octaui liquet, ubi idem de urſis: Eorum, inquit, coitus hyemis initio: nec uulgari quadrupedum more, ſed ambobus cubantibus complexiſq;. Hoc autem modo acceptum humanitus, haud admodum diſsimile eſt aduerbiorum perſonalium (ut uocant) quum reliqua eius formæ ſignificent potius id, quod ea, quæ græce in θεν deſinunt. ut diuinitus, antiquitus. Quid ſi igitur eum in ſenſum hoc quoque loco accipias: Cœpi non humanitus, id eſt, non ut humanitatis ratio poſtulabat, non ut hominem, ut patrem decebat, ſed iuſtò immanius & inclementius duriusq;: quod lingua uernacula dicere poſsis: Byn zũuiel vnmenſchlich mit jm vmbgangenn. PVTAuit me ætate et beneuolẽtia plus ſcire &c.) Nos: Putauit me & ætate & beneuolentia: geminata uidelicet cõiunctione, quo eſt in manuſcriptis & impreſsis quibuſ-

Humanitus, pro eo q̃d eſt, humano more.

quibuſdam. Ponitur aũt ſecũdo loco dactylus. nã nulla prorſus fit colliſio: qua de re initio huius libelli admonuimus. Corripitur autem me propter uocalem ſequẽtem ad imitationem græcorum. DVM ille uitam illam incolit inopem.) Nos colet legimus. Sic enim No. Marcellus in explicatione uerbi colere, ubi hunc locum citat: quæ cum faciunt uetuſti codices. E NAVI egrediẽtem illico adduxi ad cœnam.) Nos: Abduxi ad cœnã: ut habet manuſcriptum uolumen, conſentientibus quibuſdam ex impreſſis. Tametſi alterum illud non diſplicet.

EX SEcundo actu.

NAE Ille facillimè utetur patre.) Nos ex manuſcripto & Argentoratenſi facillimo legimus: quod & ſenſus poſtulat. Niſi legere malis: facili me utetur patre: quomodo habet exemplar Haſſenſtenianũ. Et mehercule facilè crediderim hanc eſſe ueram ſynceramq; lectionem. ETSI is ſuarum rerum ſatagit.) Nos: Etſi is quoq; ſuarũ &c. ex antiquis: nec aliter cõſtat Octonarius. VNDE eam eſſe cenſes?) Nos neutro genere: unde eſſe ea: nempe ancillas, aurum, ueſtem, &c. Quanquam manuſcriptum omiſſo pronomine habet: Vnde eſſe cenſes? quæ lectio mea quidem ſententia magis redolet Terentianã phraſin. ET MEO patri minus ſum obſequens.) Nos omiſſo uerbo ſum: minus obſequens: ex fide manuſcriptorum exemplarium, quæ ſic conſentiunt, aſtipulantibus quibuſdam ex his quoque peruulgatioribus libris. Citat eodem modo in Phormione Donatus. QVANTVM EX ipſa re coniecturam fecimus.) Nos, cepimus, ex obſeruatione ueterum & ma-

nuſcripto

nuſcriptorũ codicum. Tametſi utrũq; probè quadrat, quod ad ſenſum pariter ac metri rationem attinet. Dicimus enim in eodem ferè ſenſu, uel ſimpliciter coniecto & coniecturo: uel περιφραστικῶς coniecturam facio, capio coniecturam, coniectura conſequor, coniectura colligo, coniectura ducor: cuius & alij meminere. MANE, *hoc quod cœpi primum enarrem Clitipho.) Perperam in quibuſdam erat: ô Clitipho: non quia uerſus admittat: ſed quòd nihil opus ſit addere* τὸ ô*: præſertim repugnantibus omnibus fermè exẽplaribus.* DROMO *pultat fores.) Sic quidem rectè legitur. Verum manuſcripta habent, pulſat. Ex impreſsis Lugdunenſe, Venetum, alia plæraq;, pulſitat. Fabius lib.* I. *cap.* V. *teſtatur ueteres mertare & pultare dixiſſe, pro merſare & pulſare.* HINC *ſciri potuit, aut nuſquam alibi.) In manuſcriptis eſt: Haud uſquam alibi: ſicut & in Veneto & Lugdunenſi. Haud ſcio, utrum utri præferam. Eſt autem ſimilis penè apud Virgilium error* VII. *Aeneid. ubi alij, Odijs haud exſaturata quieui, alij: aut exſaturata &c. uocum ſimilitudo anſam errori præbuit: ſicuti & in* VI, *Suſcipit Anchiſes atque ordine ſingula pandit. ubi alij: Subijcit Anchiſes, & cæt. ut Baſilienſe habet & Argentoratenſe exemplar, pudendo nimirum errore: in quo Badius quoque hallucinatus eſt, qui pro ſurſum inſpicit interpretatur: ut alios omittam. Priſcianus libro* XVIII. *legit ſuſcipit, pro reſpondet interrogationem Aeneæ: quomodo græci (ut idem adnotauit)* ὑπολαμβάνειν *dicunt pro reſpondere:*

Virgilij aliquot loci.

Suſcipere τὸ ὑπολαμβάνειν.

dere: quo in ſignificato interdũ uerbo excipere utitur Poëta.uelut: Excipit Aſcanius lib. IX. Aen. Ergo opicus quiſpiam parum intelligẽs ſignificationẽ uerbi ſuſcipere, locum deprauauit. Similis error ex adfinitate uocum ibi: Fata obſtant, triſtiq; palus inamabilis unda. ubi alij inabilis unda, ut & Haganoiũ habet exemplar, & Argentoratenſe anno XXVII. excuſum, ſed mendoſè: quod ex Gellio liquet libro II. capit. VI. ubi qua ratione Virgilius hic inamabilem dixerit Stygiam paludem, indicat, cuius uerba Macrob. repetit VI. Saturnal. cap. VII. Fuit, credo, qui parum intelligens, quid eſſet inamabilis unda, ſubſtituendum putarit innabilis: obſecundante uidelicet ſenſu: quum paulò antè præceſſerit: Euaditq; celer ripam irremeabilis undæ, quòd idem ſignificare crederet innabilem undam & irremeabilem. Sunt id genus alia in Virgilio multa, quæ nunc omittimus, ne in immenſum libellus excreſcat. SINE AVRO TVM ornatam, ita uti quæ ornantur ſibi.) Omiſſa eſt in plæriſque particula ita, non abſque detrimento uerſus. SCIN'HANC quam dicit ſordidatam & ſordidam?) Nos: Scin' tu hanc, quam dicit & cætera. Ita enim manuſcripti codices, et uetuſtiſſimi pariter ex impreſſis. Sordidatus (ut hoc obiter adnotem) nonnunquam dicitur, qui obſoleta ueſte detritaq; utitur. Plautus in Aſinaria: Quanquam ego ſum ſordidatus, frugi tamen ſum, nec poteſt peculium enumerari. Cicero in Piſonem: Serui ſordidati miniſtrant, inquit. Refertur hic igitur ad illud, pannis ob-

Sordidat'

nis ob-

nis obſita: ſordidam autem referes ad illuuiem. Sor- Sordes *des (unde ſordidatus) interdum ueſtitum uilem, cuiuſ modi ferè mendicorum eſt, appellant Latini: quo in ſignificato eleganter* HIERONYMVS *ad* OCEA-NVM *utitur in epitaphio* Fabiolæ: *Dicam, inquit, appetitas ſordes, & in condemnationem ueſtium ſe-ricarum plæbeium cultum & ſeruilia indumenta quæ ſita?* PLVS EST ANIMVM DEPOSVISSE *Quàm cultum: Difficilius arrogantia quàm auro caremus & gemmis. His enim abiectis, interdum glorioſis tumemus ſordibus, & uendibilem paupertatem po-pulari auræ offerimus. Sic* HIERONYMVS. CICE-RO *alicubi ſordidatum uocat accuſatum & reum: ſordidum uerò uilem & abiectum, & propter tur-pitudinem uitæ contemptum diſpectúmque ab omni-bus, uelut in* PISONEM: *Nec minus lætabor, quum te ſemper ſordidum, quàm ſi te pauliſper ſordidatum uiderem.* PRAETEREA VNA *ancilla erat. Ea te-xebat unà & cætera.) Nos: Præterea una ancillula Erat, ea texebat unà pannis obſita. Nam* τὸ *erat per-peram adiectum eſt ad finem uerſus præcedentis. Neque ancilla ibidem, ſed ancillula legendum eſt, ut ſit* ὑποκόρισμα: *quo modo habent quum manuſcri-pta, tum ex impreſſis quæ emendatiora cæteris ui-dentur. Eſt autem in poſteriori uerſu primo loco proceleuſmaticus: quem per reſolutionem ſpondei iambicum carmen admittit, uti initio adnotabamus. Paulò quoque ſuperius dixit* CLINIA: *Quam ego*

ego cum una ancillula hic reliqui &c. ne hic mireris diminutiuo uſum. ADDVCIMVS *tuam Bacchidem.)* Donatus *hunc locum citans* in Adel. *abducere legit: quod ne uicium eſſe exemplaris ſuſpicêre, eius uerba ſubijciam: Ad me abducta eſt domum.* Propriè, *inquit, non dixit adducta, ſed abducta. Abducitur enim alie-num. ut in Heautontim. Abducimus tuam* Bacchidem. *Sic & in impreſſo quodam reperi, quod Argentora-ti (ni fallor) excuſum. nam nec locus ibi ex more, nec annus dominicus additus erat.* No. *tamen* Marcellus *adducimus legit, ubi huius uerbi ſignificata recenſet.* HEVS *non ſit ſine periclo.)* Nos: *Heus tu, addito pro-nomine: quo modo manuſcripta habent, & pleraq; ex impreßis.* DATVR *modò, fruare dum licet.)* Manu-*ſcripta habent:* Datur, *fruare omiſſo aduerbio. Si quis tamen addi uelit, non magnopere repugno.* Nam *quod ad carmē attinet, poteſt uel addi uel omitti.* FACturū *me eſſe in eū iam res redijt locum &c. Omiſſum erat me in impreßis quibuſdam, quæ uideri poterant bene emendata.* NAM *miſerum quendam offendi militem.)* Nos *addito aduerbio:* Offendi *ibi militē: ex antiquis.*

EXTER-tio actu. NAM q̄ poteroadiutabo ſenē.) Nos: *quod potero: pro eo quod dicimus, ut potero, quantū potero, alij quoad dicūt, græci* καθ᾽ ὅσον. *Ita aūt habēt uetuſta exēplaria: & mea quidē ſentētia rectius.* PROterruiſti *hinc, ea coacta ingratijs.)* Sunt q *legāt ingratis, ut ſit trimeter catale. Alij ingratijs, quo et* Plau. *utatur uelut in* Prol. *Aſin. Caue, meis ne ingratijs, pro me inuito atq; nolēte: uel.*

Quod potero.

Ingratijs.

uel iniuſſu meo.Idem in Mercatore: Tuam amicam tu is ingratijs,inquit. Et alibi,uobis inuitis atq; amborũ ingratijs &c. NVNC *quum ſine magno detrimento & cætera.Alij intertrimento legunt hoc loco, quomo do Calphurnius: quẽ cum facit codex manuſcriptus, & ex impreſsis Venetus et Argentoratenſis.*ILLOS *ibi eſſe,& id agere inter ſe clanculum.) Nos tollendã putamus coniunctionẽ illam &, quo modo habent ma nuſcripti codices.Sin addendum cenſeas,erit tertio lo co proceleuſmaticus.* DARE *denegabis?)In manuſcri pto eſt,denegaris, modo ſubiunctiuo: Sed haud ſcio, utrum rectius.*MVLIer *commoda & Faceta hæc eſt meretrix.) Nos omittendum putamus uerbũ eſt:quod nec ſenarius requirit, nec habet manuſcriptum exem plar,nec ex impreſsis Lugdunenſe,& alia pleraque. Poteſt autem abeſſe ſine detrimento ſententiæ, niſi ſi legere malis:Mulier eſt commoda & Faceta hæc me retrix:ut mulier duas in ſyllabas contrahatur in meti endo uerſu.* ATQVE *ſi is non diuitijs abundet.)Ino leuit hæc lectio,haud ſcio,magíſne re non animaduer ſa,quàm non intellecta. Nos igitur:At quaſi is non di uitijs & cætera,admoniti à uetuſtis codicibus, & in his Haſſenſteniano, ſenſu idem expoſcente.* ID *equidẽ ego,etiam ſi tu neges, certo ſcio.) Nos ex manuſcri ptis:Id quidem ego,etſi tu neges &c.quomodo etiam melius conſtat Trochaicus.* QVIDuis *ſatis eſt,dũ ui uat modo.)Erat in manuſcripto : Quiduis ſatius eſt, dum uiuat modo: quod ipſum & ſenſus exigere uide tur.*

EX QVarto actu.

F

tur. Sed nihil mutare auſim. PECCAui *fateor, uincor, nunc te obſecro.) Legendum: Nunc hoc te obſecro: ut habet manuſcriptus codex. Idem etiam expoſcit Trochaicus.* QVANTO *tuus eſt animus natu grauior, tātò ſit ignoſcentior.) Manuſcriptum uolumen non habebat haſce uoces, tāto ſit, ſed ſimpliciter ignoſcētior, quod mihi quidem magis arriſit, ut quod cum ſententia pariter ac ratiōe metri magis quadret & conſentiat. Legit eodem modo Philologus: nec diſſentiunt exemplaria quædam recentiora. Sed de eo aliorum eſto iudicium. Suſpicor è margine, ubi ad explanandā (credo) ſententiam ab aliquo inſulſo & ineleganti literatore adiectæ fuerint, in paginam irrepſiſſe ignorātia (ut fit) librariorū.* HIc *eſt annulus.) Nos: Is hic eſt annulus: ex manuſcripto & impreßis quibuſdam, uelut Lugdunenſi et Veneto: in quibus tamen inuerſus erat uerborum ordo.* ITA *hac re in anguſtū oppidò &c.) Nos: Ita hercle in anguſtum &c. ex ueterum & manuſcriptorum exemplarium obſeruatione: eſtq; rectius mea ſententia. Vocum ſimilitudine quadam factum reor, ut hic deprauaretur locus.* CVI *æquè audiſti cōmodius quidquam eueniſſe.) Manuſcriptus codex habet commodi, non (quod cæteri omnes) cōmodius: Sed nondū ſtatuo, utrum rectius, motus uidelicet tanto cōſenſu reclamantium.* SICCIne *mihi interloquere?) Manuſcripta exemplaria, & ex impreßis Venetum, Lugdunenſe, alia pleraque habent: Siccine me interloquere? quæ haud ſcio an uerior lectio ſit.* SY. QVID

(ma-

Digitized by Google

(malùm) me tādem cenſes uelle id adſimularier?) Ita *quidem & manuſcripta habent et impreſſa, quotquot ipſe uiderim, exemplaria, nec eſt ulla inter ea hoc ſane loco diſcrepantia. Cæterum deprauatam eſſe lectionem quamuis non auſim adfirmare: tamen coniectura ducor ad ſuſpicandum: quam hic ſubijciam. Lectori integrum ſit, quod uolet, ſequi.* In *codice manuſcripto erat in ſpacio, quod uerſus dirimit, ſuper illa particula tandem ſic ſcriptum:* Per *longum tempus et per ætatem.* Ex *hac gloſſa uerè (ut iſti dicunt) notabili coniicio legendum ad hunc modū: Quid (malùm) me ætatem cēſes uelle id adſimularier? ut ſit uidelicet ætatèm aduerbialiter poſitum, pro diu et longo tempore: quo modo et aliâs ſæpe* Terētius, *ut ſuo loco adnotabimus, utitur.* Ita *aptè cohærebit, quod ſtatim ſequitur:* Vnus *eſt dies, dum argentum eripio, pàx. nihil amplius.* Opp*oſuit enim inter ſeſe ætatem & unum diem: & hoc quidem pro breui tempore, illud pro lōgo diuturnoq; poſuit. Qui rem altius introſpexerit, ſat ſcio (ſi cuius modò iudicij eſt) correctioni noſtræ calculū ſuum addet.* Ecce *autem, quum hoc adnotaſſem, idem fortè à Calphurnio adnotatum reperi eo in exemplari, quod Moguntiæ pridem excuſum eſt. Verba eius ſubijciā: Me ætatem: poſuit pro diu. Alibi:* Iamdudum *ætatem. Ita ille. Sed hæc tamē uerba non ſunt in cæteris, uelut Argentoratenſi & Veneto:* Nam Romanū *exemplar nihil habet in hanc fabulam. Vocum ſimilitudo haud dubiè errori anſam dedit, præſertim obſequundante*

AEtatèm aduerbialiter poſitū.

ſenſu: Et alióqui illud tandem magis à rudibus intelli gebatur,q̃ ætatem. ANCIL*las omnes Bacchidis tradu ce huc ad uos propere.)Sunt exẽplaria,quæ habeant:* Traduce hinc,*id eſt,à nobis*. *Mihi illud huc* δεικτικὸν *eſſe uidetur:ut manu domum Syrus oſtendat,quò Bac chidem & eius ancillas traduci uelit.* SESE *ipſe dicet tuam uidiſſe filiam.) In quibuſdam deeſt* τὸ *ipſe:quod addendum tamen eſt ex obſeruatione ueterũ codicum.* CH.*Quamobrẽ?me rogas?hominі. Sy.ut lubet.)Hæc uera(ut opinor)lectio.Sed ſunt exemplaria,quæ habe ãt:Homini fugitiuo dabo?quo modo Calphurnius quo que legit.In manuſcripto non erant iſta duo poſtrema uerba:quæ è ſpacio quod uerſus dirimit,ubi ad explanandum ſententiam adiecta fuerint, in contextum irrepſiſſe ſuſpicor,incuria(ut fit)librariorũ. Nam quin* κατὰ ἔλλειψιν *rectius omittantur,dubiũ non eſt:ſi quis modo locum diligenter expendat. Huc facit diſcrepã tia exemplariũ:quæ unde tandem,niſi ex gloſſis iſtis, orta credi debet? Nam in quibuſdã reperitur:homini fugitiuo. in alijs uelut Haſſenſteniano: ut homini fugi tiuo.in alijs:homini fugitiuo dabo. in Veneto: homini darem illam fugitiuo? Quod Calphurnius nobiſcũ nõ facit,non me magnopere mouet. Ratio metri nobiſcũ facit:ut de codice manuſcripto taceam.Qũ enim uer ſus huius ſcenæ omnes Senarij ſint,hic unus* Tetrame*ter foret, nulla quidem probabili cauſa,ſi Calphurniũ ſequi uoles. Octauus ab initio ſcenæ uerſus (nè cui ea res ſcrupulum inijciat)& duo proximè ſequentes,ita*

diſtin

diſtinguendi ſunt:

Optabit rurſum ut abeat abs ſe filius.

Syrum optimè eccum. Sy. ceſſo hunc adoriri? CH. *Syre, Sy. hem.*

CH. *Quid eſt?* SY. *te mihi ipſum iamdudum exoptabam dari.*

In manuſcripto quodam non erat τὸ *mihi in poſtremo uerſu: Sed in illo tamen, quod nos ferè ſequimur, erat. Proinde reliquimus.* NON *ego in perpetuum dicebã &c.) Sic perperam exemplaria quædam uelut Moguntinum, Vuitenbergenſe, alia pleraq́; . Sed enim manuſcriptum habet:* Non *ego perpetuò: quod rectius eſſe reor. Incuria tamẽ hoc magis quàm inſcitia cuiuſquã, inolcuit mendũ. Haſſenſtenianus codex habet:* Non *ego perpetuam dicebam ut illam illi dares. Quid ſi omiſſa præpoſitione legẽdum forſan perpetuùm, ut ſit aduerbialiter poſitũ: quomodo in Andria poſtremùm, quum ait: Hodie poſtremùm me uides. & apud Curtium: Pater poſtremùm ſtrinxerat ferrum, quod eſt* τὸ ὕςατον *Græcis. Et in Heau. Peccatum à me maxumùm eſt, pro maximè. Vltimùm apud Liuium pro ultimo. Sed hæc coniectura eſto.* IVS *ſummum ſæpe ſumma malicia 'ſt.) Ita quidẽ magno conſenſu omnes codices habent: nec ſecus à doctis citatur. Sunt tamen qui legant etiam: Ius ſummum ſæpe ſumma iniuria eſt, ut ſit* ἐναντίωσις *uocum, quo modo Cicero* I. *Officiorum: Exiſtunt, inquit, ſæpe iniuriæ calumnia quadam, & nimis callida iuris interpretatiõe: Ex quo illud: Summũ ius,* ſum-

Poſtremùm aduerbiũ, q̃ mõ Græci τὸ ὕςατον.

ſumma iniuria, factum eſt iam tritum ſermone prouerbium. Verſus utrũque patitur, ſeu malicia legatur ſeu iniuria. VT *te omnes equidem dij deæq́;.)* Nos ex manuſcriptis: *ut te quidem omnes dij deæq; quantum eſt Syre: eſtq́; hæc uera lectio.* QVA *cauſa id fiat.)* De *hoc ab hinc trienniũ quædam adnotabamus.* QVANta *ſpe decidi.)* Manuſcriptum *uolumen additam habet præpoſitionem, quo modo uetera exemplaria omnia.* Præterea *in eodem, omiſſa illa ſic particula, hunc ad modum legitur:* Erraui, *res acta eſt, quanta de ſpe decidi? quibus uerbis deſperatio ſignificatur: quod Græci dicunt* πέπρακται, *nos uel ſimpliciter, actum eſt: uel res acta eſt: ſicuti apud* Plautum, *et ſuperius apud* Terentium *actus* III. Sc. III. *ubi Syrus: Acta res eſt, perij, inquit.* Videntur *autem uerba hæc cuncta eſſe* Menedemi, *ut in omnibus etiam habetur uetuſtis codicibus: licet alij tribuant* Chremeti *ex his quædam.* Quod *ad præpoſitionem attinet, poteſt ea uel addi uel omitti, ut neque in ſenſu quidquam, neque in carminis ratione deſideres.* Nam *utrunq;* Latine *dicitur, ſpe decidere, & de ſpe decidere:* Liuius *etiam à ſpe dicit.* Suetonius *præpoſitionem omittit, ut & Cæſar.* Iam *addita præpoſitione, in menſione carminis ſyllaba prima huius uerſus ab ultima ſuperioris abſorbetur: quod ſæpe numero fieri ſupra oſtendimus.* Omiſſa *autem, nihil eſt hac colliſione opus, ſed probè per ſe ipſa metri ratio conſtat.* SED *hæc ita ut ſunt.)* Sic *omnes habent hi ferme libri, qui ſunt hodie in manibus, et qui emendatiſſimi pu-*

Res acta eſt, p. actũ eſt, quod Græcis πέπρακται.

Spe decidere.
De ſpe decidere.
A ſpe decidere.

mi putãtur. Nos uerò ex antiquis: Sed hæc utut ſunt, cautim et paulatim dabis: quod ipſum ſenſus etiam ex poſcit. pro, qualiacunque hæc ſunt, quoquo pacto ſeſe habent. Hoc à nullo eſſe hactènus animaduerſum aut emendatum miror. IDEM *iſthuc mihi uenit in mẽtem.) Libri in pergamenis deſcripti ferè habent:* Itidẽ *iſthuc mihi &c. quanquam alterum illud non reijcio. In eo, quod paulò antè præceſſit:* Voltus quoque homi*num fingit ſcelus: tanquam in ſalebra quoſdam hærere uideo.* Eſt aũt *ſenſus,* Voltus *quoque hoĩm fingit ſcelus, id eſt, ſceleſtus ille efficit, ut* Clinia *norit uultũ ſuum componere ſimulando quemlibet habitũ.* Nam *ſcelus nominatiui caſus eſt, per* αὔξησιν *poſitum pro ſceleſto Syro.* Atq; *ita concinnè cohærent, quæ ſequuntur, Gnatus quòd ſe adſimulat lætum, id dicis?* Eâdem hac *loquutione uultum fingere utitur Cæſar* I. Bel. Galli *ci, Hi, inquit, neq; uultum fingere, neque interdum lacrumas tenere poterant, id eſt, nequibant timorem ſuum tegere aut diſſimulare, quin in uultu eminerent notæ quædam animi uæhementer perturbati et ſibi metuentis.* QVEnquam *animo tam communi eſſe aut leni putas.) Sunt qui legant:* Quemquámne *animo tam comi eſſe &c. ſicut de impreſſis quædam habent.* Et*mehercle difficile iudicatu eſt, utrum utro rectius ſit, niſi quod manuſcripta habent communi non comi.* AN *ne illud haud inultum (ſi uiuo) ferẽt.)* Nos, At *næ illud haud inultum &c. ex manuſcriptis, conſentiẽtibus* Ve*neto,* Lugdunenſi, *alijs pleriſq;, ut de ſenſu nihil dicã,*

EX QVinto actu.

Vultum fingere.

*qui idem expoſcit.*NON *tibi exẽpli ſatis ſum?)* Nos: *Non tibi ego exempli &c. quomodo libri manuſcripti, & ex impreſſis quidam.*Idem *Senarij ratio poſtulat: niſi ſi nulla colliſione utendum putas* . QVOT *incõmoditates in hac re accipies, niſi caues?)* Nos: *Quot incommoda tibi in hac re capies, niſi caues?* Ita enim *quum manuſcripta, tum impreſſa quædam exemplaria. uelut* Lugdunenſe, *&* Venetum . *Quod ad metri rationem attinet, rectius ſanè hoc modo legitur.* Facit *nobiſcum* Calphurnius, *qui & ipſe ita legit, cuius uerba ſunt,* Satis, *inquit,* Comicè *dixit.* Nam *hoc nomen leue quiddam ſignificat, ut in* Eunucho: Immò *enimuero infeliciter.* Nam *incommoda alia ſunt dicenda* Parmeno. Capies. *Alibi,* Inimicitias *caperem. Hæc ille .* AH NESCIS *quàm doleam.)* Manuſcripti *codices habent, quid doleam pro quantum, uel propter quid.*NANque *adoleſcens quàm maxima in ſpe ſitus erit.)*Nos: *Quã minima in ſpe etc.* Ita *enim* Valla *citat: nec ſecus in antiquis legitur.*TAM *facilime patris pacem in leges cõficiet ſuas.)*Perperam *eſt in recẽtioribus quibuſdam, boni patris: quum hoc adiectiuum nec ueteres habeãt codices, nec requirat omnino ſenſus.* QVAM *quidem redeat ad integrũ eadẽ oratio.)* Sic *quidem manuſcripta exemplaria, conſentientibus* Lugdunenſ. *&* Veneto. Proinde *tollendum pronomen hæc in recẽtioribus: quod nec ſenſus requirit nec uerſus* . QVID *metuis? nónne quum uelis, conuincas illum eſſe tuum?)*Nos *ex manuſcriptis, & impreſſis quibuſdam, uelut* Angen-

toratenſi

tordatenſi & Veneto: Quid? metuis, ne non, quum ue-lis, conuincas illum eſſe tuum? PARENTES *meos ut commonſtres mihi.*) *Priſcianus legit parenteis meos: Nam hinc idē probat, poſſe in genitiuo plurali etiam parentum dici, quòd nominis huius accuſatiuus pluratiuus in eis interim terminetur: qui quidem ſit proprius in ium terminātis genitiui.* Libro *ſeptimo* De *genitiuo plurali tertiæ declinationis.* ARCHONIDIS *filiam.*) *Priſcianus legit, Archonidi filiam. pro Archonidis libro ſexto, aſtipulante codice manuſcripto ex bibliotheca* Dominorum *ab* Haſſenſtein: *cuiuſmodi ſit illud* Virgilij *primo* Aeneidos, Relliquias Danaûm *atque immitis* Achilli. *pro immitis Achillis: ubi euphoniæ gratia, & propter* ὁμοιοτέλευτον *uitandum* Poëta *s literam detraxit.* Tametſi *hic genitiuus ab Achilleus potius eē uidetur, quod Achillei facit, et* κατὰ συναίρεσιν *Achillēi.* Veteres *enim hoc nomen inflexerunt ſicut* Orpheus, Theſeus, *atque id genus alia.* Hinc *claſsis Achillei apud* ORATIVM *Oda decimaquinta libri primi.* Archonidi pro Archonidis.

EX ADELPHIS.

QVI ADVORSE *ierant.*) Nos: *aduorſum ierant: ut* Nonius Marcellus *citat.* Eodem *modo* Donatus *aſtipulantibus ueteribus exemplaribus.* AVT *te amari.*) Nos: *aut tete amari: geminato pronomine, ut Donatus qui adnotauit tete dixiſſe tanquam ſignificātius: cum quo faciunt quædā antiqua exemplaria.* Nec *aliter ſanè uerſus: niſi ſi nulla colliſione uti uoles in pri-* EX PRImo actu.

mo pede. EGO HANC CLEmentem uitam, urbanam atq; ocium, Sequutus ſum.) In codice Haſſenſteniano erat: Sectatus ſum: ſed alterum (ni fallor) rectius. Nam ſic Cicero quoque uerbo ſequi utitur. uelut pro C. Rabirio: Sed hanc uitam quietam atque ocium ſequuti ſumus. Pro L. Murena: Qui remoti à ſtudijs ambitionis, ocium ac tranquillitatem uitæ ſequuti ſunt. Sic aliâs ſæpe. NATI FILII DVO SVNT.) Nos uerbum ſunt omiſimus ex Donato, conſentientibus & uetuſtis libris. Eſt autem ſic (niſi fallor) quum elegantius, tum Terentianum magis. Præterea carminis ratio uerbum ſunt reſpuit. DO, PERMITTO &c.) Nos, prætermitto: de quo ab hinc triennium nonnihil. Sic enim & manuſcripti & excuſi typis codices habent. Præterea Donatus qui ibidem locum explanans: Do, inquit, ſumptum: prætermitto delicta. Sed & poſtea: Nam prætermitto, inquit, intelligemus delicta ex amore. Idem Senarij ratio poſtulat: ut omittam, quòd ſic aptius concinniusq; cum uerbo illo prætermitto cohærent quæ ſequuntur: Non neceſſe habeo omnia pro meo iure agere & cæt. POSTREMO ALII CLANCVLVM PATRE QVAE FACIVNT.) Nos: clanculum Patres, legendum putamus. Sic enim uetuſta quædam exemplaria. Præterea Donatus, quod ex hiſce uerbis eius colligitur: Poſtremò alij clanculum. Non alij patres, ſed alij adoleſcentes, clanculum patres ſuos. Poſcit idem metri ratio. nam alióquin primo loco ſenarij eſſet pyrrhichius, aut certè trochæus, producta

producta priore propter mutam & liquidam: quorum neuter locum hîc habere poteſt. Videtur autem clanculum patres nouè & propè inuſitatius dictum, pro clam patribus, aut clam patres. Nam hæc præpoſitio utriuis caſui iungitur: cuius & Donatus alicubi meminit, & Priſcianus decimoquarto, & Diomedes primo. Plautus in Caßina: Nam peculi probam nihil habere addecet clam uiro. Idem clam uxorem dixit in Menœchmis: C. Cæſar, clam omnibus: Cicero alicubi clam uos. Porrò ab hac præpoſitione diminutiuum exiſtit clanculum (quod et Priſcianus adnotauit) quo hîc Terentius utitur. NAM *qui mentiri aut fallere inſueuerit & cætera.) Nos per ſyncopam inſuerit legimus, ut Martianus capella, & in Andria Don. ubi hos citat uerſus, ſed paulò aliter, ac nunc uulgo legitur.* QVID AIS *Mitio?) Nos: Quid agis Mitio? ex Donato, & obſeruatione ueterum codicum, idem ſenſu expoſcente.* PRAETER *æquum & bonum.) Sunt, in quibus ſic legatur: Præter æquumq́; & bonum: ut ſit eiuſmodi, quale illud ex Eunucho: In eam partem accipioq́; & uolo. Nam ut græci τὲ & ϗ paßim ad hũc modũ utuntur: ita ad horum imitationem latini. Alibi Terentius: Stertit noctesq́; & dies. quod græcè dicitur:* νύκτας τε ϗ ἤματα πάντα. *Frequenter hoc modo Liuius & cæteri hiſtorici, rarius Cicero, ſæpißime poetæ.* FATEATVR SE NESCIRE IMPERARE LIBERIS.) *Nos omiſimus illud ſe ex ſententia Donati, qui monuit deeſſe ſe, cum quo manuſcriptum exemplar*

Clā utriuis caſui iũgit

exemplar conſentit & carminis ratio. OBSONAT, *potat, olet unguenta.)* Ang. Policianus *in Miſcellaneis,capite ſexageſimo tertio ait* M.Varronem *legere: Scortatur,potat,olet unguenta:quum* Terentiani *omnes ad unum codices non ſcortatur habeant, ut* Varro *legit:ſed obſonat, quam lectionẽ* Donatus *quoque agnoſcat.Locus* Varronis*(ſi quis fortè requirat) eſt in libro* De origine *uerborum ſexto.* PATER *eſſe diſce ab ijs.)*Nos*:ab alijs,ex* Donato*, ut editio habet* Romãa.*nec aliter ſenarius.*Donati *uerba ſunt: Superbum fuiſſet,inquit,à me dicere:melius ergo ab alijs dictum eſt.Hæc ille. in codicibus manuſcriptis eſt, ab illis,quod ne ipſum quidem diſplicet,præſertim cũ aſtipulentur uetuſtiſſimi ex impreſsis.*ET EST *dijs gratia,Quum ita ut uolo eſt iſte,tuus ipſe ſentiet. &c.)* Nos*:Quom ita ut uolo eſt.iſte tuus, ipſe ſentiet poſterius.*Ita *nanq; diſtinguendum eſſe ex* Donato *colligitur,cuius uerba ſunt:*Iſte *tuus.* Memoriter, *inquit, iſte tuus,ad illud quod dixerat: Meus eſt factus et cætera.*Nec *ſecus* Priſcianus *libro decimoſeptimo: Iſte, inquit,plærunq; ad oculorum demonſtrationem profertur.ut* VI. *Nõ hoc iſta ſibi tẽpus ſpectacula poſcit. Inueniuntur tamen hoc de abſentibus protuliſſe autores.* Terentius *in* Adelphis*:*Iſte *tuus ipſe ſentiet poſterius:quum de abſente* Aeſchino *dicat. Aſtipulatur & manuſcriptus codex: quo in codice pronomen* Iſte *litera initiali grandiuſcula ſcriptum eſt: nimirum ut ſentiret lector,pertinere illud ad ſequentia.* Præterea *in codice*

in codice Haſſenſteniano duobus punctis prior pars: Quom ita ut uolo eſt: diſtincta erat à proximè ſequenti: Iſte tuus ipſe ſentiet poſterius. GEMINABIT *niſi caues. Sa. hei miſero mihi.) Manuſcripti codices habent:* Hei *miſeriam: conſentientibus* Veneto, Lugdu*nenſi, alijs plæriſq;. nec aliter* Donatus. ANTE AE*des non feciſſe erit melius hæc conuicium.) In* HASSENSTENIANO *erat hoc conuicium: adſtipulantibus* Lugdunenſi, Argentoratenſi, *alijs quibuſdam. Mihi ſanè hæc poſterior lectio uerior eſſe uidetur. Conuicium autem dicit uociferationem* Lenonis *.unde interpres hoc loco:*Non erat, inquit, *quod ad hæc iuſtè reſponderet, & ideo ſic reſpondet, ut conuicium dicat quod uerùm eſt.* EGON' *debacchatus ſum & cætera.)* Budæus *ſic alicubi citat:* Egóne *autem debacchatus ſum in te?* Nam ubi docet *δή* *ſeruire præcipuè repetitis interrogationibus cum indignatione, ut apud* Latinos *interdum autem: uelut ibi: tuam autem furcifer? ſubdit inter alia hoc ex* ADELPHIS *exemplum, quó id comprobet.* Neque *uerò dubium quin ſic aliquo in uetuſto codice repererit, & eſt oppidò quàm uenuſtum: ſed ratio carminis repugnare uidetur. Quanquam eodem modo habet exemplar Haſſenſtenianum, & ex impreßis* Venetum *&* Argento*ratenſe. Hæc adnotare uiſum eſt, quô alijs, quibus ocij plus eſt, diligentius inquirendi anſam præberem.* OMITTE ISTA.) Nos: mitte, ex DONATO *& libris emẽdatioribus, uelut* Haſſenſteniano. ARGENTI

EX SEcundo actu.

TAN-

TANtum tibi dabitur.)Nos omittendū putamus pronomen tibi quod nec habent uetuſti codices,nec uerſus magnopere requirit. TACE,egomet cōueniam ipſum, cupidè accipiat faxo.) Nos ex manuſcripto & quibuſdam impreſsis:Cupidè accipiat iam faxo.In nōnullis erat:cupidè iam accipiat faxo.Eſſe autem addendū iam, è Donato liquet, qui hoc loco:Iam, inquit, non tarditatis eſt,ſed properationis ſignificatio. QVAM QVAE hæc hodie interfuit.)Nos:Quàm hæc hodie. & cæt.omiſſa particula quæ: quo modo conſentiunt omnes fermè antiquiores libri: niſi ſi malis omittere pronomen hæc. ETIAM inſuper defraudat.)Nos,defrudat.Itaq; pleraq; exēplaria,ut et illud calamo deſcriptum:in quo ipſo tamen lectoris manu ſuperſcriptum eſt a.Voluit,credo,emendare quiſpiam antiquitatis imperitus & rudis. MEVM mihi reddatur, ſaltem quanti empta eſt.)Nos:meū mihi reddat: quo modo emēdatiores codices.Præterea Don.qui ſic in hūc locum:Meum mihi reddat:Sortem,inquit,quam ſolam ſuprà recuſabat:& oratoriè. Non enim quāti emi dixit,ſed inuidioſè,meum mihi reddat. Ita Donatus Romæ excuſus,conſentiente Veneto: eſtq; hæc(ni fallor) uera lectio. HOMINI neminem eſſe primarum artiū magis principem.) Nos:Hominem neminem eſſe &c. ex antiquis & Donato:cuius hæc uerba ſunt: Hominē noue auribus noſtris,ſed ueterum conſuetudine loquutus eſt.Nam quum.neminem. hominem ſignificet, quid opus fuit dicere hominem neminem?Sed (ut diximus) figu-

ſigura eſt ἀρχαϊσμός. Hæc Do. Poſcit idē ſenſus quoq;. SED quiſnam foris crepuit?) Legitur ad hūc modum in omnibus ferè codicibus recētioribus. Nos: Sed quid nam fores crepuit? ex antiquis. Præterea Don. fores legit numero ſingulari caſu nominatiuo, quomodo & Acron interpres Oratianus, non foris, ſicq; legendum monet. Habent & manuſcripti codices fores. Porrò il lud quidnam aptius hoc loco quadrat, quàm quiſnam: Tametſi nō me fugit hoc pro quæ nam foris poni poſſe τῷ ἀρχαϊσμῷ, & ad imitationem græcorum, quum uel Priſc. adnotarit quis etiam communis eſſe generis apud ueteres, ſicut apud græcos τίς. unde in Aul. Pla. Quis ea eſt, quam me uis ducere uxorem? & Quis ea nam eſt optuma? Sed & Teren. in Eunucho: Noſtrarum nunquam quiſquam uidit, inquit, pro quæquam. Verū ſenſus alterum magis expoſcit. MANE, ipſe exit foras.) In libris calamo deſcriptis eſt: Mane mane, ipſe exit foras: geminato uerbo, quod & rectius eſſe puto. Conſentiunt ex impreſſis Lugdunenſe, Venetum, editiones Donati omnes. Ego (ut ſimpliciter & breuiter dicam) arbitror ſic legendum ex ueterum exemplarium conſenſu: Nihil pote ſuprà. Sed quidnam fores crepuit? Sy. Mane mane, Ipſe exit foras: ut hic prior Tetrameter catalecticus ſit, poſterior monometer: quo in monometro primæ dictionis ſyllaba prima ad uerſum pertineat ſuperiorem per colliſionem uocalium: cuius in initio libelli huius meminimus. Solet autem Poëta, quoties ad παρασκευὴν alterius ſcenæ uentum eſt,

Quis apud ueteres ēt | coīs gn̄is, ſicut apud græcos τίς.

tum eſt, mutare interdum metri genus. EGO ILLAM *facilè uerò omitto.)* Nos *ex uetuſtis codicibus loco ad uerbij facilè ſubſtituimus iurandi particulam hercle: quam lectionem etiam interpres agnoſcit, cuius hæc ſunt uerba:* Adpàret, *inquit, non nunc primum dici* Cteſiphoni *ab Aeſchino, omitte triſtitiã tuam: nec nũc primum reſponſum, omitto: & ideo additum eſt hercle uerò, quia nunc demum data eſt plena ſecuritas.* E RE NATA *melius fieri haud potuit.) Sunt exemplaria, quæ habeant, è re natæ. pro eo, quod eſt, ex uſu filiæ: quomodo manuſcriptum quoddam. Sed rectius è re nata legitur,* Donato *quoque probante: quod quid tandem ſit, & paucis & dilucidè explicat* Budæus: Res *nata, inquiens, dicitur, quæ accidit: & hoc uerbo ſignificant* πρᾶγμα νεωστὶ συμβεβηκὸς, *de re enim repentina dicitur, ut inquit* DONATVS *in Adelphis.* Cicero: Tum *tibi placuit, ut mitterem ad filium: inde eſt natum, ut ad* Publium. *Sermo eſt à græcis translatus, qui* φυόμενον πρᾶγμα *dicunt rem, quæ nuper accidit.* Hæc *ille.* DONATVS: E *re nata melius fieri haud potuit.* Sic, *inquit, propriè dicimus de his, quæ contra uoluntatem noſtram acciderunt, ut nunc uicium uirginis.* Eſt *autem ordo:* Nihil *potuit melius è re nata fieri, quàm quod factum eſt: ut quando uicianda erat uirgo, ab eo potiſſimum uitiaretur, qui erat expetendus ad matrimonium, quaſi dicat:* Malum *quidem per ſe uicium offerri uirgini: ſed ex conditiõe eius quæ uiciata ſit, nihil potuit melius euenire,*

EXTERtio actu.

Res nata, q̃d græci φυόμενον πρᾶγμα.

E re nata.

quàm quod contigit, ut ab eo uitiaretur, cuius nos nõ pœniteret. Ita fermè Do. *In manuſcripto, quod* Io. *Muſlerus nobis miſerat, ad hũc modum erat,* Here nate *melius fieri haud potuit.* Ibidẽ *in ſpacio quod uerſus dirimit, ſic adſcriptũ offendi,* Here *genitiui caſus,* nate *datiui.* O *infelix ſeculum.* Talibus *gloßis paßim cõtaminatus eſt optimus autor, et ſic interdũ deprauatus, uix ut corrigi poßit.* Eſt *aliud manuſcriptũ, quod habeat:* Frena te. *id ſic lector intelliges, quaſi iræ moderari iubeat: propterea ꝙ (ut ſequitur) melius fieri haud poterit.* O *interpretes.* O GEnera *ſacrilega, ò hominẽ impium.) Manuſcripta uolumina habent: ò hominem impurum, quomodo et* Venetum, *et alia plæraque. nec aliter* Donatus. *Eſtq́; hæc haud dubiè uera lectio. Impurum autem uocat improbum. Sic enim à ueteribus accipi ſolitum teſtatur* Donatus *et* No. Marcellus. AH *me miſeram, quid credas iam.)* Nos: *Ah ah me miſerã: quo modo exemplaria quædam, et præterea* Donatus *(ut quidem habent omnes editiones) qui adnotauit ah ah interiectionem eſſe flentis.* Mirè *autẽ affectus exprimitur, & uelut ſingultus plorantis iſta iteratione uel congeminatione interiectionis.* Cæterum *in menſione carminis* κατὰ συναλοιφὴν τὸ *ah ah in unam ſyllabam coaleſcit.* NOSTRVM AE*ſchinum, noſtram uitam omnium.)* Nos: *Noſtrúmne* AE*ſchinum? & cætera, quomodo uetuſti codices, idem expoſcente carminis ratione.* NEQVE *precium, neque rem ullam interceßiſſe, illam aut me indignam.* Geta *experiar.)* Nos:

Impur' & improbo.

Illa aut me indignam, caſu ablatiuo nõ accuſatiuo, quo legendũ eſſe coniectura quadã ducor ad ſuſpicandũ ut ſit ſenſus: Quũ ſciã nihil interceßiſſe, quod aut filiam aut me parũ deceat &c. Habet aũt ita exemplar è bibliotheca nobiliũ Dominorum ab Haſſenſtein. Reperi eodẽ modo in quibuſdã impreßis, nec difficilis hoc loco fuit lapſus. Verbũ experiri, quod ſtatim ſequitur (ut id obiter declarẽ) ſignificat actionẽ intendere in iudicio, quo mõ Cicero utitur pro Quintio: *Siquid in controuerſiã ueniret, intra parietes aut ſummo iure experiretur.* Græcè (ut adnotauit Budæus) ἀγωνίζεσθαι καὶ δίκην λαγχάνειν. Próinde rectè Don. Experiar, inquit, pro apud iudices agã. PORRO conſule.) Nos, porrò proſpice, ut habent manuſcripta uolumina, et emendatißimũ quodque ex impreßis. Nec aliter Don. Romæ & Venetijs excuſus, cõſentiente & Argẽtoratenſi & Moguntino. Quod ad ſenſum attinet, haud magno in diſcrimine pono, legáſne cõſule an proſpice, quũ eãdẽ ſit hoc loco utriuſq; uerbi ſignificatio. SO. HAV hau mi hõ ſanúsne es? An hoc proferendũ tibi uſq̃ eſſe uidetur?) Hæc uerba Soſtratæ tribuuntur in oĩbus, quæ quidẽ ipſe uiderim, exẽplaribus: Sed hoc totũ (ut adnotauit diligẽter interpres) ex perſona nutricis legendũ eſt. Illa enim dißimulandã rẽ putat, Soſtrata uerò (uti paulo poſt ſequitur) rẽ proferendã cenſet, rationesq́; ſuæ ſñiæ ſubijcit. SI inficias ibit.) Exẽplaria ferè ita ſanè habent. Cæterum Th. Linacer, Sin inficias ibit, legiſſe uidetur. Nam adnotauit alicubi particulã ſin, quæ

Experiri τὸ ἀγωνίζεσθαι.

plea

plerunq; ſubijci ſolet coniunctioni ſi, uidelicet quum
dictorum quædam eſt oppoſitio, hoc loco ſine ea poni,
quod alióqui perrarum ſit. Donatus *quoque* Romæ *et*
alter Venetijs excuſus ſin habet: quibus cum facit edi
tio Moguntina et Argentoratenſis. Quæ quamuis ita
habeant, tamẽ haud ſcio, utrum magis probem. Metri
quidem ratio, Linacri lectionem non reſpuit, ſi s elidas
in nomine inficias, metiendo uerſum. ETIAM *cũ ad*
nequitiam adducere.) Donatus *legiſſe uidetur abduce*
re. ita enim hoc loco: Abducere, inquit, quaſi inuitum
dixit, nõ uocare. Ducimus enĩ uolentes, ſed abducimus
inuitos. Ita Don. *&* *oẽs editiones cõſentiunt.* Nec *hic*
deprauatũ eſſe aliquid, liquet ex ijs quæ mox ſubſequũ
tur. Credo abductũ: Nõ *ijſſe(inquit* Don.*)ſed abductũ*
eſſe, quaſi adhuc culpa nõ ſit illius. Ex *his uidelicet col*
ligimus, nec hic culpã eẽ ullã Aeſchini, nec antè fuiſſe,
ut qui inuitus fratri obſequutus ſit. Scio ſecus legiſſe
Sypõtinũ: ſed ſuſpicor in corruptos codices incidiſſe.
próinde ad hoc et alia huiuſmõi multa conniuendũ no
bis puto. Apud Plau. *haud ſcio an mendũ ſubſit in* Bac
chid. quũ inquit: Nã *ita me dij ament, ut Lycurgus mi*
hi quidẽ uidetur poſſe hic ad nequitiã adducier. Poni-
tur aũt abducere ad nequitiã περιφραστικῶς pro corrũ
pere, & quod germani dicunt verfüeren. OMNEM **Abducere ad nequitiam.**
rem mõ ſeni, quo pacto ſe haberet etc. Nos omiſſo pro
noĩe legimus: Quo pacto ſe haberet, enarramus ordi-
ne: ut et manu ſcripta habẽt et impreſſa quædã ea qui
dem, quæ mihi cæteris emendatiora uidentur. Præte-

rea illud ſe reſpuit uerſus. Vtrunque autem dicitur, ſic res ſeſe habet, quo in Bruto *utitur* Cic. *uel ſic res habet, omiſſo accuſatiuo: quod Græci dicũt,* οὕτως ἔχει.

Habere ꝑ eſſe, ut græcis τὸ ἔχειν.

Lucianus: Ἀκούσατε, ὡς ἔχει ὑμῖν τὰ πράγματα. *&* Terẽtius *alicubi: Sic eſt res. Nam* Priſcianus *quoq; lib.* XVIII. *annotauit habere apud* Latinos *pro eſſe interdũ accipi ad imitationem Græcorũ. ut in* Phormione: *Bene habẽt tibi principia.* T. Liu. VIII. *ab* V.C. *Bene habet, inquit, uicit diſciplina militaris, uicit imperij maieſtas. Sic aliás ſæpe.* TV *úmne filium? Abigam hũc rus, iamdudum aliquid ruri agere arbitror.) H*æ*c omnia* Syri *uerba ſunt: quod ex uetuſtis exemplaribus atque è* Donato *intelligere licet, cuius hoc loco uerba ſunt:* Tuúmne *filium?* Hoc *clarè, inquit. Moris eſt, ut qui cogitat quod reſpõdeat, interrogatione remoretur. Abigam hunc rus, ut pecudem dixit abigam, non ut hominẽ mittã. Abigã hoc lenius. Iamdudũ aliquid ruri agere arbitror, hoc clarè.* Hæc Don. Idem *act.* IIII. Sc. II. *ubi* Syrus *ad* Cteſiphonem: *Age tamẽ ego hunc amouebo: Mirè, inquit, amouebo dixit, non deterrebo.* Nam *propriè amouetur ſaxum de loco: quo uerbo ſignificat imminere ſibi magnum laborem in hoc opere.* Et *uide* αὔξησιν. *Suprà ut pecudem abigam hunc rus, dixit: modò ui ſaxũ amouebo, inquit. hactènus ille.* QVAM *ille quidquam cœperit.)* Nos: *cœperet, ex* Haſſenſteniano

Cœpio ũbum antiquũ, unde cœperet.

codice, & ex Priſciano: *quod à cœpio uenit, uerbo penè obſoleto et iam olim deſito, ſed quo in* Menæchmis *utitur* Plaut. *inquiens:* Quid *illuc eſt, quod hi homines inſa-*

inſanire prædicant? Neque inſanio,neque pugnas aut lites cœpio:cuius & No. Marcellus meminit. Idem in Truculento: Dum habeat,tum amet:ubi nihil habeat, alium quæſtũ cœpiat. Sex: Pompeius quoque III. inuer niri apud antiquos cœpẽre teſtatur. Priſciani uerba ſiquis fortè requirat,ea ſunt ex libro X. ad hunc modum:Cœpio,inquit,quod in uſu nõ eſt,cœpi facit præteritum. Terentius tamen in Adelphis præteritũ imperfectũ ſubiunctiui eius uerbi, quod naſcitur ex præſenti,profert: Sinerem ego illum?an non ſex totis mẽſibus Prius olfeciſſem,quàm ille quidquã cœperet? Habet eodem modo (ni fallor)exemplar,cuius nobis copiam fecit Ioannes Muſlerus, quo in exemplari monachus(credo)quiſpiam, antiquum eſſe uerbum adnotarat. OH lachrimo gaudio.) Nos: Oh oh lacrumo gaudio: ut habet manuſcriptũ uolumen: eſtq; uidelicet adfectuoſius,ſi ſic gemines. Conſentiunt quædam ex impreſſis:neç habet aliter Haſſenſtenianus codex. PHIloſophos domi habuit.)Sic ferè cunctis exẽplaribus impreſſis inuenitur. Nos:Phy. Domi habuit unde diſceret.Sic enim Donatus,qui unde diſceret,id eſt,de quo interpretatur,quod ſecus oportebat,ſi legiſſet philoſophos.Suffragantur huic emendationi ueterrima quæque uolumina,nec aliter ſenarius.Pertinet autem phy ad finem præcedẽtis.Fuit(opinor) qui parũ ipſe,quid ſibi nam uellet illud phy intelligeret, igitur (ut eſt audax inſcitia) in philoſophos commutauit, præſertim quum ſequatur, unde diſceret, quod iſti uerbũ errori

mirè uelut obſequundabat, ut & illud proximè acce-dens: Præceptorum plenus iſtorũ ille. Quid ſi aliquis ſuſpicatus eſt librarium (ut aſſolet) compendium aucupantem, quô paucioribus literis uocem notaret, philoſophos ſcribere uoluiſſe (quæ ſcriptura ſic notulis decurtata philoſophos ſignificat) atq; ita dum nimiũ feſtinat, phy reliquiſſe, lapſu haud dubiè procliui. Itaq; quum locus mendæ ſuſpectus uideretur, caſtigandum eum ſibi, quicunq; ille fuit, ad hunc modum, quo nunc uulgò legitur, exiſtimauit. Veriſimile prorſus inde fluxiſſe errorem, & de uno aliquo exemplari corrupto in codices ex illo deſcriptos, atq; inde porrò in alios atq; alios propagatum eſſe: quod & aliàs factum deprehendimus. INSPICERE *tanquam in ſpeculum uitas hominum.) Nos (ut quædam exemplaria habent) uitas omnium: quod ipſum et carminis ratio poſtulat, niſi ſenarium catalecticũ eſſe malis.* QVAM *illa Demea facere uobis.) Nos addita negatiõe: Non facere uobis. Sic enim uetuſti codices. Idem & ſenſus & Trimeter expoſcit.* HAVD *mali quid ortum &c.) Legendũ forſan: Haud ſcio, mali quid ortum ex hoc ſit publicè: quo modo pleraque exemplaria, & in his Haſſenſtenianũ. In altero manuſcripto erat eraſum s, et in ſpacio ipſo quod uerſus dirimit, adiectũ t ad literam penultimã. Vnde ſuſpicor legendum: Haud citò mali quid &c. et niſi lõge fallor, hæc uera emendataq; lectio eſt: quantũ ex interprete quidem conijcere licet, cuius uerba ſunt in hunc locum: Vtrum, inquit, hoc optantis eſt, ne moriatur?*

rlatur? an eſt teſtimonium uitæ hominis nunquam obfuturi Reip. Hæc ille. Verſus alterutrum horum expoſcit. VBI Sic factũ, ad matrem uirginis.) Nos: ubi ſcit factum: quomodo uetera exẽplaria & Donatus, pro eo quod eſt, ubi intelligit et ſentit, quid peccauerit: ut ille interpretatur. HVNC abduce, uince.) Ita in quibuſdam perperam legitur. Nos uinci legendum cenſemus, in quarta coniugatione, à uerbo uincire: quod et ſententia expoſcit, & emendatiores libri habent. IS quod mihi de hac re dederit conſilium, id exſequar.) Nos, id ſequar: ut habet manuſcriptus codex, conſentientibus quibuſdam ex impreßis. QVAM uos facillimè agitis, quàm eſtis maximi, Potentes, dites &c.) Nos maxumè legimus, non maximi: quo modo manuſcripta etiam exemplaria, & ex impreßis Lugdunenſe et Venetum. Præterea ſenſus idem expoſcit: Reſpondent enim ſibi inuicem quàm maxumè, & quod ſequitur, tã maxumè. Eſt apud Saluſtium ſimilis loquutio: Quàm quiſque peßimè fecit, tam maximè tutus eſt. Qu. Aſconius (ut hoc obiter adnotem) difficultatem nonnunq̃ paupertatem ſignificare ait, ſicut apud Ciceronẽ IIII. Verr. Oſtendit ſe ſumma difficultate eſſe nummaria. Huic autem contrarium eſſe, quod hic ait Terentius: Quàm uos facillimè agitis. Difficultas rei nummariæ apud Ciceronem VI. Verr. pro inopia atque egeſtate. GETA duc me intrò ad Soſtratam.) Perperam omiſſum eſt aduerbium intrò in quibuſdam exemplaribus, uelut Moguntino, Vuitenbergenſi, alijs plæriſq;: quũ

Difficultas ꝓ paupertate.

addendum eſſe, præter ſenſum etiam metri ratio doceat. ET ISTANC quod potes conſolare.) Nos: fac cõſolere, ex Donato, quẽ cum antiqua exemplaria faciunt, & uerò etiam metri ratio. Sunt autem iambici trimetri. NAM hunc diem miſere nimis cupio &c.) Hæc uera lectio, quam etiam habent recentiores codices omnes. Sed manuſcriptus ille è bibliotheca Haſſenſteniana habet: Nam hũc diẽ mi Syre nimis &c. adſtipulante Argentoratenſi. Prior lectio uerior: quod ex interprete liquet, qui hic adnotauit nimis abũdare more Comicorum, qui hoc dicto aſſeuerationẽ inculcent. QVOM ſeruit maxumè.) Ita planè legendum eſt, ut & Probus nobilis grammaticus admonet, & diligenter adnotauit Don. Tametſi hic fermè conſentiũt nobiſcum libri recentiores. NAM me in cellã aliquã.) Nos addito aduerbio: Nam me tã in cellã aliquã. Ita manuſcriptum exemplar, & Don. Romæ excuſus, idem expoſcente carminis ratione. TAMEN ego nunc amouebo.) Nos, hunc amouebo. ut Don. & uetuſti codices. Eſt hoc (fateor) haud magni alicuius momenti: ſed non mihi prætermittendũ putaui. NON tu cũ rus hinc mõ produxe aiebas?) Hæc uero lectio. Cæterũ in Haſſenſteniano codice eſt: Rus hinc mõ prodiſſe: ut et in Veneto & Lugdunenſi, ſed falſò & mendoſè: id quod è Donato liquet, cuius uerba ſunt: Produxe aiebas. Memoriter, inquit, ſenex, nõ ſolũ quid dixerit Syrus paulò antè, ſed quibus uerbis dixerit, refert. nam ſic dixerat: Quem egomet produxi. Hæc ille. Eſt autem pro-

EX QVarto actu.

duxe

duxe κατὰ συγκοπὴν conciſum, nam integrũ eſt produ-xiſſe: quo modo apud Catullum promiſſe pro promiſiſ ſe. apud Virgiliũ expleſſe pro expleuiſſe. Laudáſne? ille continebit poſthâc, ſi ſapiet, manus.) Sic fermè exẽ plaria, & in his manuſcriptum quoq;. Cæterũ ex Ve neto, Argentoratenſi, alijs quibuſdam ſic legendum cõ ijcio: Laudas? næ ille cõtinebit etc. quod è Donato etiã liquet, ut quidem cõſentiunt oẽs editiones. Eſt aũt (ut idẽ adnotauit) cõminatio ſubtilis & parcior, uelut ſer ui. Næ idẽ hîc, quod profectò aut iurãdi particula her cle ſignificat, ut alibi: At næ illud haud inultũ (ſi uiuo) ferent. &: Næ illa illum haud nouit. Sic aliàs ſæpe. NI SI me in illo credidiſti eſſe.) Nos: Niſi ſi in illo me cre didiſti eſſe hominum numero: ut antiqua exemplaria conſentiũt. Et τῷ niſi ſi libẽter uti ſolet Terẽtius. VBI eã uidi.) Nos: ubi uidi: omiſſo pronoĩe ex ſentẽtia Do. qui ſuperuacuè pronomẽ addi teſtatur. NON me hanc rem patri, ut erat geſta indicaſſe?) Nos: utut erat ge-ſta: Sic habet uera lectio, conſentiente nobiſcum Don. cuius uerba ſunt: utut erat geſta, id eſt, ſiue malè ſiue benè geſta erat. Vt enim certam qualitatem ſignificat: utut incertam. q. d. quoquo modo, male bene. Hæc ille. Nec aliter ſanè conſtat Trochaicus. ITA ut dixi So-ſtrata facito.) Hic quoq; locus ex ijs unus eſt, quos ſcio lorum corrupit audacia & inſcitia. Nos, facite nume-ro plurali, ex Donato & obſeruatione uetuſtæ lectio-nis. Iubet autẽ ut uel ſecuræ ſint, uel adornẽt nuptias, inquit Don. QVI cum illa conſueuit prius.) Nos: qui il

Næ, p eo q̃d eſt pfecto uel hercle.

li cõſueuit etc.ex Don. *ſuffragantibus uetuſtis exẽplaribus,& ratione carminis.* Q*uãuis prior lectio ſit in codice* H*aſſenſteniano.*Don.*uerba ſunt :* Q*ui illi conſueuit.*L*egitur & illã: & dicebãt ueteres hanc rem cõſueui.Sic* Don.*Eſt tamẽ ubi ablatiuo iungatur præpoſitione interueniente,ſed ferè in obſcœnum ſenſum. uelut in* H*ecy.*Q*uẽ cũ tot conſueſſet annos.* In Phor. *Cũ eius conſueuit olim matre in* L*emno clanculum.*Et *apud* P*laut. in Ciſt.*E*n unq̃ cum quiq̃ uiro cõſueuiſti?* I*nde ſtupri conſuetudo apud* S*al.in* Cat. AVTOR *his rebus qui eſt?)* Don.*(ni fallor)legit : Autor his rebus quis eſt?quõ et manuſcripta exẽplaria habent. quanq̃ fateor illud qui eſſe mollius & ſuauius:* Et *ſolet nonnunquam* T*eren.particulam qui corripere,ſequẽte uocali,nulla utens* συναλοιφή.*ut in* A*nd.ſc.*II.*act.*I. DVM *cognatus huc illinc ueniret.)*Blanditur *hæc lectio prima fronte,quô minus depræhendi mendum queat, præſertim obſequundante etiã ſenſu. At nos uerã lectionẽ eſſe arbitramur:hinc illinc ueniret:ex* Don.*qui hoc adnotauit dictũ prouerbialiter.*Cũ Don. *facit manuſcriptus codex,ubi eodẽ modo legitur:*C*onſentiũt & plæriq; de impreßis.*VIR*ginẽ ut ſecum aduehat?)* S*ic &* H*aſſenſtenianũ habet exemplar.*V*erũ in altero manuſcripto & quibuſdã impreßis auehat legitur:quod eſt (ni fallor) rectius.*RID*iculũ, aduorſúmne illũ cauſam dicerẽ.)*Don.*legit ridicule,aitq; uocatiuũ eſſe caſum, ab eo quod eſt ridiculus.* P*ræterea* T*erẽ.nouè cauſam dicere poſuit:quum alióqui dicere cauſam propriè ſit,*

Conſueuiſſe uerbi obſcœna ſignificatio.

Conſuetudo ſtupri apud Salu.

quando

quando reus accuſationibus reſpondere cogitur. Exem*pla paßim obuia.* VIRGINEM *uiciaſti, quàm te ius nõ erat tangere.)* Nos *fuerat legendum putamus, nõ erat: quod perperam habent exemplaria* Moguntinum *&* Vuittẽbergẽſe, *atq; alia plæraque:* Faciunt *nobiſcum manuſcripti codices. præterea carminis ratio.* Nam *ſi erat legeris, erit in trochaico iambus: quẽ pedem hoc metri genus reſpuit.* QVID *facias, rogitas? ſi non re ipſa tibi iſtuc dolet.)* In *quibuſdã legitur:* Si *non re tibi iſthuc &c. omiſſo pronoĩe ipſa: quod ſenarius etiã exigere uidetur.* Sed *quũ manuſcriptũ nõ adſtipuletur, nĩhil mutare auſim.* Quid *ſi ita legas?* Quid *facias?* Si *nõ re ipſa iſthuc tibi dolet. ut deſit uel rogas, uel quid ſimile: quo mõ in* Eunu. *Videã obſecro quẽ? pro, rogas nũ uideã?* Et *in* Adel. *Quid agitur?* De. *Quid agatur? uoſtrã nequeo mirari ſatis* Rationẽ. In Hecy. *Quid ego agã* Phidippe? *quid das conſili?* Ph. *Quid agas?* Et *in* Phor. *Quid ſit deniq;?* Ge. *qd fiat? deeſt rogitas.* Fre*quẽs ẽ huiuſmõi* ἐλλείψεις *apud* Terẽ. *Sed nolo quisq̃ cõiecturã meã ſequatur, niſi ſit codices nactus, q noſtræ diuinatiõi ſuffragẽtur.* Deprauatũ eẽ *locũ inde conijcio, q in alijs legitur rogas, nõ frequẽtatiuũ rogitas, in alijs re uera nõ reipſa:* Quã *ego diſcrepantiã quũ uideo, mendũ ſubeſſe arbitror.* TV *inter eas reſtim ductãs ſaltabis.* Mi. *probè,* Et *tu nobiſcũ unà.)* Manuſcriptũ *exẽplar hẽt ad hũc modũ:* Mi. *probè.* De. *Probè?* Mi. *& tu nobiſcũ unà, ſi opus ſiet.* De. *Hei mih. &cæ. quæ haud ſcio, an uerior lectio ſit.* Certè *nec uerſus repugnat nec ſenſus, quô minus ſic legas.* Sed *hoc in*

EX Quinto actu.

medio relinquamus.EHO iã tu uerba fundis.)Nos ex codice Haſſenſteniano:Obe, iam tu uerba fundes hîc ſapientia?Fundes,inquam,legimus futuro tẽpore,quo modo & Don.cuius in hunc locum uerba ſunt : Fundes, inquit, utrum ſine ulla ceſſatione proferes? an perdes? ſecundum illud.Nam quid tu hîc agas, ubi ſi quid bene præcipias, nemo obtemperat?Hæc ille, ut quidẽ editio habet Veneta et Romana:quibus cum aliæ ferè cõſentiunt.Eodem modo reperi in impreßis quibuſdã bonæ fidei exẽplaribus.POTASTI ſcelus,quaſi re bene geſta.)Hic locus in manuſcripto etiã, cuius iam ſæpe meminimus,ſic deprauatus erat:nedũ in impreßis, præſertim recentioribus.Nos potaſtis legimus πλῆθυντικῶς ex Don.quod mihi ſanè maximè conuenire ſenĩ iracundo uiſum.q.d. Da ſaufft yr euch uoll. Sic & in Argentoratenſi quodam & Lugdunenſi reperi; præterea in Haſſenſteniano. Verba Donati ſunt; Potaſtis ſcelus. Non quod plus uidet ſenex q̃ obijcitur oculis; ſed oratoricè potaſtis dixit, quum unum ebrium cernat,propter illud quod ait;Exemplum diſciplinæ. quæ ſi in omnibus ſit,quod in uno nũc aſpicitur.Virgilius: Et crimine ab uno Diſce oẽs.HEI mihi quid faciã? qd clamẽ,aut querar.)Hîc perperã omiſſæ ſunt duæ uoces, quid agã?quas & Don. addidit, aſtipulantibus ue tuſtis codicibus,& ſenarius expoſcit:quod nõ ſenſiſſe alios miror.Legendũ igitur:Hei mihi quid faciã? quid agã?quid clamẽ,aut querar. Núnquid minus Mihi idẽ ius æquũ eſt eſſe etc.) Nos,Num quî minus etc.ex Do.

qui ſic

qui ſic ait: Num qui m.m.i.i. Aut num, aut qui abundat. & eſt ordo: Qui minus æquom eſt eſſe idē ius mihi. Qui ergo quare uel quur ſignificat. Conſentiunt quædam exemplaria, uelut Moguntinum anno XXI. impreſſum: ut de ſenſu nihil dicam. Nē quid tamen diſſimulem, Venetum, Lugdunenſe, & alia plæraq; habent: Nam qui minus: quæ lectio & ipſa mihi probatur. ET Tuus iſte animus æquus ſubuortāt.) Ex Don. colligitur hic ita quoſdam legiſſe: Næ nimiū modo Bonæ tuæ iſtæ nos rationes Mitio. Et tuus iſte animus æquos ſubuortit: uidelicet ut næ diphthongo ſcribatur. Sed alterum magis probare uidetur: quod ferè exemplaria habēt. ut aūt apud græcos κατὰ ἔλλειψιν ἀττικὴν nonnunquam in oratione ſubauditur σκόπει uel ὅρα uel aliud ſimile uerbum: ita hoc loco apud Teren. uide uel caue, ſicuti adnotauit G. Budæus in Cōmentarijs linguæ græcæ. Don. timeo uel aliquid tale ſubaudiri ait. Sed utrunq; rectè. FACIundum eſt. Ceterū rus cū filio.) Nos addito aduerbio tēporis: Rus cras cum filio &c. quo mō habet manuſcriptus codex, & ex impreſſis quidā, uelut Lugdunenſis & Venetus. Poſcit idem trimetri ratio: cuius cū detrimento omiſſum eſt ꝛ cras in omnibus fermè recentioribus. CVM prima luce ibo hinc.) Nos: Cū primo lucu, ut Don. & antiqua exēplaria. pro eo quod dicimus, quū ſol primū cœperit illuceſcere: uel (ut Gell. loquitur) ubi primū diluculabit. Veteres enim maſculino genere lucum dicebāt, quod nos lucē, pro ſole ponentes: ut adnotauit Don. Tale quid-

dam

Ἐλλειψις ἀττική.

Lucu, ꝓ luce apud ueteres:

dã apud Macrobiũ obſeruaſſe uideor in Satur. Repeaſritur autẽ ſæpenumero apud Plau. ut in Ciſt. HODIE modò hilarum fac te.) Nos: Hilarum te face: quo modo ueteres codices. Monuit aũt Diomedes antiquos dixiſſe face, dice, duce, ſicuti & Virg. antiquitatis amantẽ: Tu Voluſc armari Volſcorũ edice maniplis. Sic ſuprà Terẽ. Hunc abduce, uinci. I ERGO intrò, & cui opus eſt rei, hilarẽ hunc ſumamus diem.) Sic uetera exẽplaria, & quædã etiã recẽtiora. Atq; ita probè cõſtat ſenarius. Miror unde eæ uoces, quæ ſuperſunt, in hunc uerſum irrepſerint. BLANDE dicere aut benignè facere: quando cô prouocat.) Multò maxima pars librorum ueteriũ habet: Quando huc prouocat: quo mõ interpres quoq; legiſſe uidetur, quantũ ex omnibus fermè editionibus colligo. Sed & uerſus utrunq; patitur & ſenſus. Proínde non magnopere, utrum legas, referre puto. Cæterũ benignè facere hic ſignificat munificũ eſſe, quo modo Cicero utitur pro Plãcio, & II. Offici. ubi, Qui, inquit, opera, uirtute, et induſtria benefici et liberales erunt: primũ quô pluribus profuerint, eô plures ad benignè faciendum adiutores habebũt. Plaut. in Captiuis: Gratis hunc à me, ut ſit liber, abducito. Ph. ædepol Hegio facis benignè. GETA Maxumi precij eſſe te hoĩem &c.) Sic quidem Moguntinum & Vuittenbergenſe exemplar, ut alia omittã. Cæterum ſic legendi ſunt hi duo uerſus:

Benigne facere.

Oh, qui uocare? Ge. Geta, hominẽ maxumi
Precij eſſe te, hodie iudicaui animo meo.

Ita uetũ

Ita uetuſta exēplaria cōſentiūt, neq; aliter conſtāt ſe-narij: Eſſet enim alter ex his brachycatalecticus. ET *Hymenæū qui cantēt.) In manuſcriptis erat, canat, nō cantēt: quaſi de uno loquatur Aeſchynus. Conſentiunt ex impreßis Lugdunēſe, Venetū, Argentoratenſe, alia pleraq;, ut de tanto planè conſenſu mirer: quū tamen, quò minus ita legi poßit, ſenarius repugnare uideatur: Eſſet enim quinto loco pyrrhichius. In eiſdē uerſu pro ximè præcedēte additū eſt uerbū quæſo, aſtipulanti-bus oībus fermè Don. editionibus, ad hunc modū: Sed quur nō domū uxorē quæſo accerſis? Per me integrū ſit lectori utrū uolet ſequi. Hoc obiter addā: In nuptijs quondā cani ſolitū ad hūc propè modū :* Υμὴν ὦ ὑμέναι' ὦ ὑμὴν: *cuius Cælius meminit lib.* XV. *cap.* XXIIII. Hymenę⁹.
Vnde illud Veronenſis poëte: O hymenæe hymen hy-men ô hymenæe. Plaut. Age tibicen, dum illam educūt huc nouā nuptā foras, ſuaui cantu concelebra omnem hanc plateam hymenæo: Iò hymen hymenæe, ô hymen. Huc illud facit ex epiſtola Medeæ ad Iaſonē, At ſubi-tò noſtras ut hymen cātatus ad aures Vênit, et accen ſo lāpades igne micant. Itē illud in Hypermn. Vndiq; collucēt præcinctæ lāpades auro. Vulgus hymē hyme næe uocāt. TR *Aduc & matrē & oēm familiā.) Nos: trāſduce, ut plæriq; codices. Sed et poſtea ibidē ſeqtur: Tu illas abi et traduce.* FR *Atris ædes fiēt peruiæ.) Hi uerſus longe deprauatißimi ſunt. Nā primū fratri le-gendū eſt, nō fratris, ex ſnīa Don. qui illud elegantius eſſe adnotauit. Deinde uerbū adducet, quod in fine po* Trāſducē re pro trā ducere.

nitur,

nitur, id reponendum eſt ad initium uerſus mox inſe-quētis. Præterea coniunctio et eximēda eſt, ut ſit ἀσύνδετον. *Sic igitur leges ex obſeruatione ueterum exem-plarium:*

Fratri ædes fient peruiæ, turbam domum
Adducet, ſumptum admittet. multa. quid mea?

In uerſu proximè ſequenti primo loco proceleuſmati-cus eſt: Ego lepidus ineo &c. IVBE nunc iam Dinu-*meret Babylo ille.)* Nos: *Dinumeret illi Babylo uigin-ti minas: quo modo legendum ē Donato liquet:* Illi, *in-quit, cui? Cteſiphoni an lenoni? Aeſchino an Syro?* Hæc ille. *Verbū iubē poſteriorem hic habet breuem, ſicuti & caue & uide in carmine nonnunquam apud poētas. Iám per diæreſin diſſyllabum eſt: quod ipſum quidem apud Plautum ſæpe reperias, uelut in prolo-go Aſinariæ:* Hoc agite ſultis ſpectatores nunc iām, Quæ mihi quidem atq; uobis res uortat bene. *In Mo-ſtellaria:* Age comminiſcere ergo. TR. Quid agā nūc iām? *Eodem modo et in Pſeudolo.* SYRE ceſſas ire ac facere? SY. Quid ago?) *Vocū ſimilitudīe irrepſit mē-dum (ut opinor) Nā manuſcriptus codex habet:* Quid ergo? *ut ſubaudias faciam, aut ſimile quippiam: Eſtq; hæc haud dubiè uera lectio.* EGO VErò iubeo & in hac re & alijs oībus &c.) *Nos omittendam cenſemus præpoſitionem in, abſq; detrimento uerſus, ex obſer-uatione ueterum exemplarium: id quod ſenſus quoq; expoſcere uidetur. Facit nobiſcum Don. qui in hunc locum:* Hac re, *inquit, maceriæ diſiectione:* & *alijs o-mni-*

Iā dyſſyllabū nōnūq. apud Comicos.

mnibus,ut nuptijs ſenilibus. EST,quid poſtea?) Nos ſimpliciter : Quid poſtea?omiſſo uerbo eſt: quod nec uerſus requirit,nec habēt ueteres codices. INSAnis? aufer te.) Nos omittimus pronomen te ex Donato. Is enim: Aufer, inquit, aut te deeſt, aut manum,aut pro eo quod eſt abi . Conſentiunt quædam ſpectatæ fidei exēplaria.QVID tu huic aſine auſcultas?)Nos:Quid tu autem huic aſine &c. Don. & ad unum omnes antiquiores libri . Perperam igitur & cum detrimento elegantiæ & carminis omiſſa eſt in recentioribus coniunctio illa autem. Vtitur ad hunc modum Plau.quoque in Captiuis:Quid tu autem huic credis?inquit.Libenter autem facit Poëta noſter,ut Plautum imitetur. HOC confit quod uolo.)Manuſcripta exemplaria habent:Hoc quom fit quod uolo: Et perfacilis ſanè & lubricus uocum ſimilitudine lapſus fuit. Sed utrum tamē rectius,mihi nondū liquet. SI quid porrò Mitio.)Nos: Siquidē porrò &c . ex Donato et plæriſq; codicibus. QVOD proluuium , quæ iſthæc ſubita eſt largitas?) No. Marcellus proluuiū profuſionem interpretatur, citatq; hoc Terentianū pro eiuſce rei comprobatione. Cæterum exemplaria quædam habent prolubium, quod mehercle ualde placet , præſertim quum eodem modo interpres legiſſe uideatur. Sic enim ait: Prolubium(quod Græci προθυμίαν) id eſt,prōptus animus ad largiendum. Hæc ille. Vtitur autem hac uoce poſt Terentium Au.Gellius libro XVI.capite ultimo,& alicubi etiam Apuleius . QVIA non iſta prorſus iniuſta

Prolubiū quod Græcè προθυμία.

H &c.)

& cæ.) Nos: *Quia non iuſta iniuſta prorſus omnia omnino obſequor. Ita Lugdunenſe exẽplar habet, nec ſecus in manuſcripto quodam fuiſſe, ex deletili membrana conijcimus, in qua huius rei ueſtigium adpâret haud obſcurum.* Facit nobiſcum Donatus, *cuius hunc in locum uerba ſunt,* Prouerbiales *ſunt huiuſmodi loquutiones, fanda infanda, digna indigna, uelis nolis, fas nefas. Hæc ille, indicans uidelicet* γναντιώσι *& cõtentionem uocum, quæ prouerbij faciem habeat.* Facilis *autem & procliuis lapſus fuit, una tantum omiſſa litera, nẽpe u.* MISSA *facio, effundite, omittite &c.*) Nos *emite legimus, non emittite. Ita enim manuſcriptum exemplar, quĩ cum facit* Lugdunẽſe. Præterea Donatus, *cuius uerba ſunt:* Effundite *ad* Aeſchinũ *pertinet, emite ad* Cteſiphonem, *facite ad omnes.* Sic *editio habet* Romana, *nec aliter conſtat* Trochaicus.

EX HECYRA.

EX PROLOGO. EAM CALAMI*tatem ueſtra intelligentia.*) Nos, *noſtra intellegentia. Ita uetus exemplar, quo in exemplari paßim intellego per e ſcriptum reperias, ut facilè equidem eam in ſententiam* Ang. Politiani, *qui ut intellego dicat potius quàm intelligo, uetuſtis codicibus adduci ſe ait, præſertim quum nec grammaticorũ repugnet autoritas, nec analogia: Sic enim intellego dici, ut pellego:* Priſciano *quoque adfirmante ab interlego formari hoc uebũ, r litera in l conuerſa, ſicut à perlego illud pellego. libro* V. Epiſt. IN *animum induxi meum.*) Nos: *Et cum eſſe quæſtum in animum induxi ma-*

Intellego pe ſcriptũ in penultima.

maximum. Refertur autem adiectiuum ad quæſtum né cui hoc ſcrupulum inijciat. NE EVM *circumuentũ iniqui irrideant.)* Nos: *Iniqui iniquè irrideant. Perperam quidam (ſi dijs placet) aduerbium iniquè ſuſtulerant, atq; adeo tollendum in margine adnotarant his uerbis:* Trimeter *iniquè reijcit. Imò enimuero* Trimeter *hoc expoſcit: quod né cui in dubio relinquatur, age metiamur hunc uerſum:* N' ūm cīr, cūmuēn, t' ĭnī, qu' ĭnī, qu' īrrīdĕānt. *Pronomen eum in unam contrahitur ſyllabam: quæ* συναίρεσις *frequens eſt apud* Te*rentium. Mecum faciunt uetuſta exemplaria, et in* Cõ*mentarijs* Don*. qui adnotauit iniquè iniqui* παρόμοιον *eſſe.* Nos *aſſimile dicimus: qua uoce et* Cicero *utitur et* Virgilius. PER*pol quàm paucos.)* Donatus *ait quoſdam, nos paucos ſed paucis legere, ut addatur meretricibus. Eſt autẽ* τμῆσις, *pro per quàm paucos.* HEM *duxit.) Plærique codices habent:* En *duxit: quo modo interpres (ni fallor) legit.* NE *cuiuſquam te miſereat.)* Nos *omiſimus illud te ex fide antiquorum codicũ, & ex ſententia* Donati, *qui adnotauit deeſſe te.* AVDIN' *quid dicã Syre?) Ex interprete colligimus legẽdũ* Scir*te: cuius uerba ſunt:* Scirte. κωφὸν πρόσωπον *inducitur. Conuenit nomẽ ſeruo puero,* παρὰ τὸ σκιρτᾶν, *quod eſt geſtire & ludere. Conſentiunt cum hoc plæraque exemplaria: inter que* Moguntinum *quoddam anno ſalutis* M D XXI. *excuſum.* AH *noli* Parmeno.) Nos: *ha noli &c. quo modo uetuſti codices &* Donat. Quan*quam hoc ſanè leuius, q̃ ut adnotari debeat.* BIENni- EX PRIMO actu.

um ibi perpetuum miſera illum pertuli.) Nos *ſimpliciter tuli legimus,ut habent libri emẽdatiores,& in his manuſcripti,&* Don. *qui hoc loco:*Non *cũ illo inquit, fui,ſed tuli.adeo me nõ oblectaui. Sed et pertuli tamẽ neq; ſenſus ipſe,neq; carmen reſpuit.* PHIlotim *cepiſſe ſæpe.*)Nos *admoniti à ueteribus & manuſcriptis exẽ plaribus:*Philotiũ *cepiſſe etc. Sic enim in plæriſq; legitur:idq́; nimirũ rectius.* Eſt *aũt caſus uocatiui,diminutiuũ nomen,cuius &* Priſ.*meminit li.*V. Nec *quadrat hoc loco* Philotim,*quod ad ſenſum pariter èt carmen attinet. Sic et paulò ſuperius legendũ:*Sed *uideon' ego* Philotiũ*? unde hæc aduenit?*Et *in fine ſcenæ:*Bene *uale* Philotiũ.QVAM *cupida erã huc redeundi, et abeundi à milite.*)Nos *omittimus illam & coniunctionẽ copulatiuam, ut ſit* ἀσύνδετον*: quo modo habẽt exẽplaria uetuſta,& (ni fallor)* Don. NAM *illic haud licebat.*) Nos *illî cũ circũflexo accentu,ex ſentẽtia* Don.*quanq̃ utrunq; rectè*. MODO *quæ hæc narrauit mihi* Hîc *intus* Bacchis?) In *manuſcripto & quibuſdam impreßis,uelut* Lugdunenſi *&* Veneto*, omiſſum erat pronomen hæc:& quidẽ rectè,ſi quid ego iudico,præſertim quum nec* Donatus *adiecerit:quod ex hiſce uerbis liquet:*Q*uæ narrauit mihi? quæ qualia.ſ.et quãta:* Modò *quod narrauit mihi:*Q*uæ legendum eſt, ut ſit, qualia & quãta.* Hæc Donatus. Poſſet *tamen referri pronomen hæc ad ſubſtantiuũ* Bacchis*:niſi tanto cõſenſu refragarentur codices antiqui.* ITA *me dij bene amẽt,haud propterea te rogo.* Nos *ex antiquis:*Ita *me*

dij

dij amabũt etc. ut ſit uidelicet κατ' ἐναλλαγὴν *pro amẽt poſitum:quod & interpres adnotauit.* Eodem modo *Plautus in Aul. Ita me dij amabunt,inquit,ut ego hũc auſculto lubens. pro ita me dij ament.* SE SEnem *eſſe dicere,illum autem eſſe unicum.)* In *quibuſdam geminato pronomine ſe, & ſublato altero illo eſſe,ad hunc modum legitur:Seſe ſenem eſſe dicere,illũ autem unicum. Sed quum in alijs bis poſitum ſit τὸ eſſe, ijs etiã, quæ ſatis emendata uideri poßint, addendum omnino puto,& in metiendo uerſu elidendũ alterum l in pronomine illum,ut ſit quarto loco anapæſtus.*CREdo *eius commiſereſceret.*)Nos:credo ibi eius &c.ut Donatus *et bonæ fidei exemplaria: nec aliter uerſus. Sed huiuſmodi multa,quæ minutiora uideri poſſunt & leuiora quàm ut adnotari debeant, conſulto paßim præteribo.* PLVS *potis ſe illa abſtinere.)* In *omnibus quos quidem hactenus uiderim* Terẽtianos *codices, ſic corruptè legitur.* Nos *ad hunc modum reſtituimus:* Plus *potus ſeſe illa abſtinere ut potuerit:cuius emendationis ſubſcriptores adprobatoresq; habeo* Priſcian. *lib:* IX.*et Laurẽtium* Vallam *in* An. Raudenſem:*nec aliter manuſcriptum uolumen, &* Don. *non ille quidem Moguntiæ pridẽ excuſus, quo nihil deprauatius,quã typographus interim ipſo in ueſtibulo ſtatim glorietur, in eo ſupra omniũ editionẽ, quô repurgatior etiam à mendis ederetur,complura reſtituta eſſe & emẽdata. Sed ualeat nugator.*Non,*inquam,*Don.*Moguntiæ editus,nec rurſus ille annos ante* XXIX.*Argentorati,*

torati,qui(ſi rectè memini) haud multò eſt illo Mogũtino correctior: ſed (ne longum faciam) qui anno ſalutis humanæ M CCCC LXXII. *Romæ typis excuſus eſt,quod exemplar, etſi ipſum quoque innumeris penè mendis ſcateat,eſt alijs tamen omnibus minus corruptũ.*De *impreßis tantùm* loquor. Nos *certè quæ in alijs(compluribus enim uſi ſumus)deſiderabantur,hoc adiuti ſæpenumero bona ex parte ſarciuimus.* Hic *igitur* Donatus *potus habet,non potis,haud aliter ſtante ſenario:nè quid de ſententia dicam.* Miror *quem tandem ſenſum ex priore lectione collegerint:* Nam *codices excuſi ad unũ omnes potis habent, non potus.*Sed *pergamus.* MORITVR *cognatus ſenex* Horum.*ad hos redibat &c.)*Nos *ex antiquis conſentientibus &* Donati *editiõibus:* E*a ad hos redibat lege hæreditas.* Hoc *pronomen in* Andria *quoque additum reperies, ubi* Crito : E*ius morte ea ad me lege redierunt bona.* V*trobiq; eandem ſententiam habes,uariata* κατὰ συνωνυμίαν *oratione.*Porrò *in metiendo uerſu* ſ m *in horũ non eliditur.*P*oſtq̃ accerſiuit ſæpius.)*Nos:A*ccerſunt ſæpius:ex ſententia* D*onati:qui monuit ſubaudiri noſtri,id eſt,mißi à ſocru.* Cum *quo faciunt uetuſti codices.*Q*uanquam manuſcriptum exemplar habet accerſiunt in quarta coniugatione,haud ſcio nũ rectè.*Q*uãuis ſciam ſolere in hoc uerbo* κατὰ ἐναλλαγὴν *inflexionem uariari interdum ,* ut Apud Plautum *in* Amphi*tryone.* NON *mea opera neque pol culpa euenit.)* In *manuſcriptis eſt;* Neque *pol culpa uenit:quomodo in*

EX SEcundo actu.

Lugdunenſi quoq; & Veneto & alijs plæriſq;, conſentientibus omnibus fermè Donati editionibus. Ponitur autē κατ' ἐναλλαγὴν figuræ pro compoſito euenit. HAVD minus quàm ſeipſum magnificare.) Manuſcriptus quidem codex magnificare hoc loco habet, ſed diſſentientibus cæteris omnibus: Quare nihil immutaui. Magnificare autem Terent. pro plurimi facere & charum habere poſuit: quæ uox quanquam rara ſit in uentu, tamen idētidem ea utitur Plautus. ut in Sticho: Pudicicia eſt pater eos magnificare, qui nos ſocias ſumpſerūt ſibi. Idem in Menæchmis: Quia pol te unū ex omnibus Venus uoluit me magnificare. Sic in Pſeudolo quoque. Plinius in nat. hiſtoria libro XVII. cap. IX. M. Varro, inquit, principatum dat turdorum fimo ex auiarijs: quod etiam pabulo boum ſuumq; magnificat, neque alio cibo celerius pingueſcere adſeuerat. Idem eodem uerbo utitur libro XXX. cap. X. præterea alijs in locis. Quod ad carminis rationem attinet, poteſt utrumlibet legi, uel magnifacere uel magnificare. Nam (ut initio ſtatim huiuſce libelli adnotauimus) Poēta in iambico tetrametro catalectico hoc ſibi permittit, ut pro penultima lōga in fine uerſus duas ponat breues: Qua ratione uides hic utrumuis quadrare. Nam eſt quòd me forum trāſire iam oportet.) Nos addimus præpoſitionem ad, ex uetuſtis exemplaribus: quod ex Donato quoque uideor deprehendiſſe. AEDEpol ne nos ſumus mulieres æque omnes &c.) Nos; AEdepol næ nos ſumus muliēres iniquè æquè

Magnificare pro magnifacere.

æquè omnes inuiſæ uiris: quod (ut alia omittam) ex interprete etiam colligitur, qui iniquè æquè Comicum παρόμοιον eſſe adnotauit.

EX TERTIO ACTV.

LEVIA ſunt hæc, quæ tu per grauia eſſe &c.) Nos omittimus pronomen hæc ex obſeruatione antiquorum codicũ. CVRſari ſurſum prorſum.) Nos ex manuſcriptis, & ex ſententia Donati: rurſum prorſum, quomodo in Argentoratenſi etiam legitur. pro eo quod eſt, huc illuc.

Rurſum prorſum.

Nam rurſum propriè ſignificat retro, & prorſum antè. Eſt autem pro uerbiale (ſicut adnotauit Don.) ut dicimus ſurſum deorſum. intrò foras. hâc illâc, et ſimilia. Græci ἄνω καὶ κάτω, πρόσω καὶ ὀπίσω. Varro apud No. Marcellum: Mortales multi rurſus ac prorſus meant. Idem in Amphitryone Plautina reperies. NEScio quod magnum malum Profectò Parmeno me cælas.) Manuſcriptum habet cælant, ut & Lugdunenſe & alia quædam ex impreſſis: nec mihi ſanè diſplicet. Qui cælas legunt, reſpicere uidentur ad id quod ſtatim ſequitur: Quur mihi id non dixti? PAR. quia non poteram unà omnia. EHEM Parmeno tute hic eras?) Nos ex antiquis: Ehem Parmeno tun' hîc eras? quo modo & ſenſus expoſcit. BIS facere ſtultè dico.) Nos duco legimus, ut eſt in omnibus uetuſtis, pro arbitror & exiſtimo: quod et ſenſus poſcere uidetur.

Ducere pro exiſtimare, ut Græci ἡγεῖσθαι.

Lapſus fuit perfacilis ex ſimilitudine uocũ. Frequens eſt autem apud optimos quoſque autores uerbum duco in hac ſignificatione. Cicero II. de Oratore: Qui omnes hi ſumus, ut ſine his ſtudijs nullam uitam eſſe ducamus, id eſt, putemus uitam in-

ſua-

ſuauẽ ſine his ſtudijs. Virg. X. Tanton'me crimine dignũ Duxiſti, id eſt, iudicaſti. Sex. Pom. Duco, inquit, quũ pro puto ponimus, ex græco deducitur, quod illi dicunt, δοκῶ. lib. IIII. Commentũ lepidũ mehercle & argutũ, ſed nimis coactũ, et ingenioſum magis q̃ uerũ. NAM ſi remittẽt quidpiã Philumenã dolores.) Nos: Philumenæ dolores. Sic enĩ Don. Ruffi. alij: nec aliter ſenſus poſtulat. Cõtrà paulò antè: Malè metuo, ne Philumenæ magis morbus adgraueſcat. Ci. in Cat. uerbo remittere, ut hic ponitur, oppoſuit ingraueſcere, uide licet mutata cõpoſitionis rõe: Sic hic morbus, qui eſt in Rep. releuatus iſtius pœna, uehemẽtius uiuis reliquis ingraueſcet. μεταφορικῶς Cic. loquitur. Idẽ X. ad Atti. Alter ardet furore & ſcelere, nec remittit aliquid, ſed indies ingraueſcit. Qui Philumenã legêre, nõ uiderũt Poetã (id quod Don. adnotauit) uerbũ actiuũ quaſi neutrũ poſuiſſe. Perperã etiã quũ hoc loco, tũ in And. plæriq; legũt Philomênã, idq; producta penul. quũ cõtrà eãdẽ correpta legi debeat Philumĕna: quod & uocis huius deriuatio, & uerſus dimẽſio ſatis docere poterat. Nã auẽ, quã nunc ferè Philomenã uocãt penul. lõga, rectius (ni fallor) φιλομήλαν appellaueris. IAm ut limen exirẽ, ad genua accidit.) Manuſcriptũ exẽplar è bibliotheca Dominorũ ab Haſſenſtein habet: Ad genua acceſſit: ſed mendoſè. Eſt autẽ accidere hic idem quod προσπίπτειν græcis, id eſt, ſupplicẽ fieri, genibus aduolui. Sene. in Troade: Ad genua accido Supplex Vlyſſe: quãq; nullius pedes Nouere dextrã, pedibus admoueo

Remittere, cuius cõtrariũ ingraueſcere

Philumena ante penultima acuta pferendũ.

Accidere προσπίπτειν.

tuis. Corn. Ta. lib. 19. datiuũ huic uerbo addit: Genibus accidens. Sue. Terẽ. imitatus: Ad genua accideret, inquit in C. Cæſa. & in Clau. Ci. eleganter in 8. ad Atti. ad pedes abijcere dixit. Cæſar ad pedes procumbere. VII. Bel. Gal. et proijcere ſe ad pedes. T. Li. Ad pedes prouoluere 6. & procũbere ad genua 9. & ad pedes procidere 39. Iuſtinus, prouolui genibus. Quod aũt hominis genibus quædã & religio inſit obſeruatione gẽtiũ: quodq; hæc ſupplices attingant, ad hæc manus tẽdant, teſtatur Plin. 11. Nat. hiſt. ca. 45. HANC habere orationẽ mecũ à principio inſtitit.) Sic manuſcriptum exẽplar, ſuffragante quodã ex impreßis. In recẽtioribus ferè inſtituit legitur. Vtrunq; mea quidẽ ſentẽtia probè quadrat, q̃d ad ſenſum pariter & carminis rationẽ attinet. T. Li. li. 8. ab V. C. uerbo inſiſtere eodem in ſignificato utitur, quo hic Terẽ. Orare dictatorem inſiſtũt, inquit, ut ueniã errori hũano, ueniã adoleſcentiæ Q. Fab. daret. Idẽ li. 4. De. 3. Tum omißis pro ſe precibus, puellis ut ſaltẽ parcerẽt, orare inſtitit. Et 7. Nõ ſuadere mõ, ſed ſumma ope orare inſtitit. Sic aliàs ſæpe. QVæq; fors fortuna inquit, nobis quæ te hodie obtulit.) Nos addendũ putamus uerbũ ſubſtantiuũ eſt: quod & manuſcriptũ habet, & uetuſtißima quæq; ex impreßis: Quo ſanè mõ Trochaicus etiã rectius cõſtabit. QVID uis dicã? an conueniã mõ?) Nos legendũ ſuſpicamur: Quid uis nunciẽ? ex impreßis quibuſdã, ut Veneto, Argentoratenſi, alijs paulò uetuſtioribus. Nec aliter interpres. cuius hæc inter alia uerba ſunt: Imò

Inſiſtere uerbũ cum infinitiuo iunctũ.

quod

quod conſtitui me hodie. deeſt, inquit, nuncia: & ſumitur à ſuperiori ſententia, quia dixit: Quid uis nunciē? Hæc Don. Quanq́ alterum planè illud non reijcimus: quod & manuſcripti codices habent. Si lectio Donati probatur, eſt in metiendo uerſu contrahendū uerbum nunciem in duas ſyllabas. ET Qui ſic ſunt, haud multū hæredem adiuuant.) In manuſcriptis & quibuſdam impreßis ſimplex iuuant ponitur, & mea quidem ſententia rectius. pro parum hæredi conſulunt: ut interpretatur Donat. SIBI uero hanc laudem reliquit: uixit dum uixit bene.) Nos relinquūt πληθυντικῶς, quo modo manuſcripti codices, & Dona. qui in hunc locum: Bene, inquit, & facetè, nihil hæredi relinquunt, ſibi uerò relinquunt. Habet eodem modo ex impreßis Lugdunenſe. TIBI ID IN manu eſt, ne fiat. La. Si ſanus es.) Nos legendum putamus: Tibi in manu eſt, ne fiat. La. Si ſanus es ſatis. uel, ſi ſanus ſies. Nam utrunque inuenio in uetuſtis codicibus, & alterum planè carminis ratio poſtulat. Poſterius hoc legit interpres: ſi ſanus ſies, inquit, pro ſi ſanus es. Nam aliter iubeas dicere debuit. Hæc ille. Tibi in manu eſt, pro eo dixit quod eſt, tua in poteſtate ſitum eſt. ut & Saluſtius: Neque in manu mihi fuit, Iugurtha qualis nunc foret. Sic aliâs ſæpe. QVIA PAVLVLVM VOBIS acceſſit pecuniæ, ſublati animi adſunt.) Libri in membrana deſcripti & ex impreßis paulo uetuſtiores habēt: Sublati animi ſunt: nō (ut recentiores) adſunt. uocant autē Latini (ut hoc in tranſcurſu oſtēdam) animos numero plurali

In manu eſſe.

Animi q̄d πληθυντικῶς

θυμὸς. plurali,ferociā illam uehementiamq́; animi confidentis,quæ græcis eſt θυμὸς. Sic Cicero De lege Agraria: Quos illorū animos? quos impetus? quā ferociā fore putatis? T.Li.VIII.Bel.Pun.II.Suſtulerāt, inqt, animos Aetoli,quū ob Romanā ſocietatē, tum poſt Attali aduētum. Igitur ſublati animi ſunt,inquit poſtq̃ paululū acceſſit pecuniæ,nimirum q; plærunq; pecunia feroces reddat & inſolentes ἢ θυμώδεις. PRAEſertim

EX Quarto actu. quū & rectè & tempore ſuo peperit.) Sic conſentiūt oīa fermè exēplaria,& in his manuſcripta quoq;. Verū quando particula quū magis ſubiunctiuū poſtulat, haud ſcio,an rectiꝰ legatur pepererit. Fuit aūt perfacilis lapſus hoc ſanè loco. Quòd ſi alterū p addita notula ad hunc modū p ſcripſeris,iam erit pepererit: Inde (credo) error fluxit: Sed hæc coniectura eſt: nec me autore quisq̃ mutabit,niſi codices nactus ſit emēdatiores: Quanq̃ et uerſus expoſcere uidetur, ut pepererit

Modi enallage. potiꝰ legas. Sin alterū magis placeat,erit ἐναλλαγὴ modi: qua figura Comicus utitur. quale eſt illud in prolo. Phorm. Peccādi quom ipſe de ſe finē non facit. pro nō faciat. Quòd ait,tēpore ſuo,huc uidelicet reſpexit, q; puer ſeptimo etiā menſe naſci poſſit. cuius Plin meminit li.VII.cap.V.Au.Gel.III.cap.XVI. Fit & eiuſce rei mentio I. Digeſt. Tit.V. his uerbis: Septimo menſe naſci perfectum partum iam receptū eſt propter autoritatē doctiſſimi uiri Hippocratis: & ideo credendum eſt eū,qui ex iuſtis nuptijs ſeptimo menſe natus

Επταμηνιαῖοι & eſt iuſtū filiū eē. Huiuſmodi pueri à græcis ἑπταμηνιαῖοι

dicuntur

dicuntur:ſicut qui octauo menſe naſcuntur, ὀκταμηνιαῖοι *Cic.ad At.X.Tullia mea peperit:puerũ* ἑπταμηνιαῖον ἐυτόκησεν*.Quod quidẽ eſt natũ,perimbecillũ eſt.*QVAM *uis cauſam hunc ſuſpicari,q̃ ipſam uerã uolo.*) Hunc *locũ eſſe deprauatũ,quis non ſtatim ſentiat?* Nam quũ *particula illa q̃ addi ferè ſoleat comparatiuæ dictioni, hic nihil,ad quod referri poßit,uides.*Nos igitur:Quã *ipſam uerã mauolo:ut habet manuſcriptum exemplar, quo cum ratio carminis conſentit:*Eſt aũt *uerſus* Tro *chaicus catalecticus.* Inde adhuc *mauelim reperitur, quũ à malo inuenias malim.*Plau.in Perſ. *Cum Antæo deluctari mauelim,q̃ cum amore.Sed & mauolo apud eundem legitur in Curculione,ubi paraſitus:* Nolo her*cle,inquit,aliquid,certum q̃ aliquid mauolo.*Et in Aſi. *Nolo ego metui, amari mauolo mi gnate me abs te. Præterea mauellẽ pro mallẽ in Amph.ubi Alcumena, Experiri iſthuc mauellẽ me,inquit,quã mihi memorarier.* Et in *Aſi.futurũ mauolet:Moriri ſeſe miſere mauolet,* Quã *nõ perfectũ reddat quod promiſerit.Mauolũt quoq; Næuius dixit apud Sex.Pom.li.*17.*Et fir maſti fidẽ.*)Nos:*Ei rei &c.*Ex Don.& *uetuſtis codicib9.*ET *apud me præmiũ.*) Nos:*Vt apud me etc.*MI *Pãphile hoc uobis et meæ cõmodũ famæ eẽ arbitror.*) *Manuſcripta uolumina habent ad hunc modũ:*Mi *Pãphile,hoc & uobis & meæ cõmodũ famæ arbitror:uidelicet geminata cõiunctiõe,et omiſſo uerbo eſſe,quod uerſus omnino reſpuit.*Eſt aũt *octonarius acatalecticus,ut cæteri in hac ſcena omnes.Pronomen meæ* κατὰ συναίρεσιν

ὀκταμηνιαῖοι pueri

Mauolo pro mãlo.

συναίρεσιν unā in ſyllabam coaleſcit metiēdo uerſum.
NIHIL iam mihi iſthæc res uoluptatis ferunt.) Perpe
ram eſt in recentioribus quibuſdam aiferunt: quum
ſit legendum ferunt, ex obſeruatione uetuſtæ lectio-
nis. Præterea in manuſcriptis erat: nihil pol iam mihi
&c. ſed carmē reſpuere uidetur. quanq̄ & Lugdunē
ſe, & Venetū eodē mō habet. Hoc, ne q̄d diſsimulaſſe
dicar, admonendū putaui. VT nè cui mea lōginquitas
ætatis obſtet, mortēue exoptet meā.) In manuſcriptis
erat exſpectet, nō (quod in impreſsis eſt) exoptet: &
mea quidē ſententia rectius. Nam in Adel. quoq; hoc
Expectare mortē alterius. ipſo uerbo eadē in ſignificatione utitur, quū ait: Illū ut
uiuat optant, meam aūt mortē expectāt. pro exoptāt
& deſiderāt mortē meā, uel me mortuū uolūt. Ita eā-
dē fabula: Vbi te expectatū eieciſſet foras, pro eo q̄d
eſt, cuius mortē in dies ſingulos expectarit et exopta
uerit. Nam expectamus ante diē, ſperamus ad diē, in-
quit eo in loco Donatus. Scitum eſt, nec ab hoc alienum
loco, illud quod Fabius narrat li. 9. cap. 4. ubi de anta
naclaſi agit, quæ ſit eiuſdem uerbi contraria ſignifica
tio: Quū Proculeius quereretur de filio, quòd is mor-
tem ſuam expectaret: & ille dixiſſet, ſe uero non ex-
pectare: Imò, inquit, rogo exſpectes. ETSI tibi cau-
ſa eſt de hac re mater, quæ te impulit.) Nos omiſſa
particula quæ legimus: Etſi tibi cauſa eſt de hac re. ma
ter te impulit. quo modo ueteres codices & Donatus
qui abſolutè poſitum adnotauit καὶ ἀσυνδέτως & deeſſe
nam. ut ſit: Nam mater te impulit. Cauſam autem mo-

re ſuo

re ſuo pro defenſione commentitia poſuit Terentius. ut omittam, quòd idem ratio metri exigit. QVID RESPONDEBO his? aut quo pacto hoc aperiã?) Nos nõ aperiã ſed operiam hîc legendũ putamus: quũ q; ſententia id exigat, tum quod manuſcriptus quidam ſic habeat codex, conſentiente ex impreſsis Lugdunenſi. Vt omittam, quod interpres eodem modo legit: id quod ex hiſce uerbis liquet: Hoc modo, inquit, oſtendit ineſſe eſſe, quod ſimulet: nec id quod uerum eſt ducendum eſſe. Sic ille. Ergo operiam dixit, pro cælem & tegam quod me orauit Myrrhina. Eſt enim contrarium planè uerbo aperire: quod ex hoc Plautino liquet in Captiuis. ubi Tyndarus: Operta, inquit, quæ fuere, aperta ſunt: patent iam præſtigiæ, Omnis res eſt palàm. Sic Terẽ. in Phorm. Iámne operuit oſtium? pro clauſit. Ita enim legendum ibidem, ut & manuſcripta habent exẽplaria, & ex impreſsis Venetũ & Lugdunẽſe. Cicero de Maſiniſſa: Nullo, inquit, frigore adduci, ut capite operto ſit, id eſt, tecto. Contrariũ aperire caput pro detegere. MVTATIO fit, ea nos perturbat Laches.) Ita quidẽ exẽplaria. Priſc. aũt li. VII. legit Lache. quod ſanè an q̃d adnotaretur magnoperè dignũ ſit, haud eq̃dẽ ſcio: nec mihi tamẽ prætereundũ exiſtimaui. Et nè quis exẽplaris uiciũ eſſe ſuſpicetur, eius ſubijciã uerba: Nec ſolũ in his, inquit, quæ ſunt primæ, ſed etiã in illis quæ tertiæ, id eſt, in oĩbus græcis es producta finitis, ſimiliter inuenies uocatiuum in e productam proferri. Chreme, Lache, Anchiſe. Paulo poſt

Operire cuius contrariũ aperire.

poſt ſubdit hoc ė Terentio exēplum. NATVM *illum & illam ſaluam.*Nos *addito pronomine : Et tibi illam ſaluam:quo modo etiam* Don.*qui:Rectė , inquit, tibi, quia pater puerperæ eſt , cui dicit . Conſentiunt cum* Donato *antiqua exemplaria.* QVVM *eam iam cōſe- quitur alienus puer.)Sunt codices,ubi omiſſum ſit ad- uerbium iam:*Q*uòd ſi addendum omnino putas,in me tiendo penultimæ dictionis medias ſyllabas ambas in unam contrahas oportet,ut ſit quarto loco proceleu- ſmaticus,quinto ſpondeus.* Remiſſam *opus ſit uobis an reductam domū.)Sunt qui ita legant:* Remiſſam *opus ſit uobis,an reducta domùm.*Priorem *lectionem pro- bat* Don.*cuius uerba ſunt :* In *ueris codicibus ſic eſt:* Remiſſam *an reductam domū, ut ſit remiſſa reducta.* Hæc *ille.*Teſtatur *autem et* No.Marcellus *li.* De *pro. ſerm.ueteres dixiſſe:*Opus *eſt illam rem. pro opus il- la re.*Probat *hoc ibidē exēplis poetarū* Plau.*et* Lucre. Meminit *huius etiā* Diom.*li.*I.*ut cæteros grāmaticos omittā.*Porrò *in reductā litera d gemināda uidetur ad producendā ſyllabā,ut metri rō poſcit:quod in redu- cere uerbo* Orat.*fecit* II.*ſerm.licet ibidē alij deducere legāt.* QVEM *ipſe neglexerit pater.)*Nos *ex antiqs:* Q*uē ipſa neglexit pater,*Ego *dlā?*Eodē *mō* Don. Le- *gitur,inquit,& ipſa:et hoc eſt melius,ut ſit pater utūs caſus.*PVER *quia clā natus eſt.)* Ita *perperā in qui- buſdā recētioribus,quū ſit in antiquis:*Puer *quia clā te eſt natus,nactus alterā es.* Nec *aliter cōſtat trimeter.* ALI*quādo tādē huc aīm ut adiūgas tuū.)*Nō *diſplicet*

nobis

nobis hæc lectio: ſed in ueteribus & manuſcriptis, uel adducas reperio, uel abducas: haud ſcio utrũ rectius. Poſterius hoc Donati editiones habent fermè omnes, ut ſit ſenſus: Fac abducas Pamphile animum à Bacchide huc, id eſt, ad uxorem tuam. Genus & figuram loquendi paulò antè in Eu. attigimus. Sed hanc coniecturam eſſe uelim. EGI atque oraui te, uxorem ut duceres.) Nos: Egi atque oraui tecum &c. Ita exemplaria uetuſta, quum impreſſa tum manuſcripta. Proinde miror, quur hoc quiſquam mutandum duxerit. Eſt autẽ (nè quem hoc inijciat ſcrupulum) uetuſtè poſitum, atq; ad imitationem Plauti: quem libenter Poëta noſter facit ut imitetur: Is igitur in Perſa: Quæſo animum aduorte, inquit, hoc enim iã heri narraui tibi, Tecumq; oraui, ut nummos ſexcentos mihi dares utendos mutuos. Idem in Curculione: Tecum oro & quæſo, qui has tabellas adferet Tibi, ut ei detur quam iſthic emi uirginem. Niſi quis illud tecũ referre malit ad uerbum egit: quod fieri oportere ſiquis magnopere contẽdat, haud multùm equidem relucter: Sed alterũ planè quum uerius, tum etiam minus coactum. Eodem modo apud Plautum mecum pro me identidem poſitum reperitur. uelut in Aſinaria: Hanc quoi daturus, hãc iube petere atque orare mecum. Sic item paulò pòſt ibidem. ID ego præſente hoc nolebã dicere.) Nemo tã metiendorũ uerſuum rudis, quin ſentiat integrum hîc deeſſe pedem: niſi ſi tertia regione nullam fieri eliſionem uelis. Manuſcripti codices habent: Id ego hoc præſente tibi no-

Oraui tecũ, ἀρχαϊσμός.

lueram dicere. Quidam *impreßi:tibi nolebam dicere.* QVOD *pòſt me non feciſſe ſatius ſit.)Nos: Quod me*
EX QVinto actu. *pòſt minus feciſſe etc. Ita enim* DONATVS, *&* *plæraque exemplaria.* NAM *iam ea ætate ſum,ut non ſit &c.)* Nos ex *manuſcriptis & quibuſdam impreßis,* Donato *etiam conſentiente:*Nam *iam ætate ea ſum,ut non ſiet peccato mihi ignoſci æquum.* Perperam *adiecta fuerat particula nam ad finem uerſus præcedentis,quum huc ea pertineat.* Præterea *ſiet habent* Donati *editiones fermè omnes & Italicæ & Germanicæ, ſicut manuſcriptum quoque exemplar.* Erat *et uerborum ordo inuerſus,contrà quàm uel exemplaria uetuſta habeant,uel ratio metri poſtulet.* Leuia *hæc,ſed nõ tamen diſsimulanda.* Cæterum *peccato* Terent.*pro in*
Ciceronis locus. *peccato dixiſſe uidetur: quale fuerit (ni fallor)illud* Ciceronis *contra* Rullum: *Quæ quum omnibus eſt difficilis & magna ratio, tum uerò mihi præter cæteros:cui errato nulla uenia,rectè facto exigua laus et ab inuitis expreſſa proponitur: non dubitanti fidele conſilium,non laboranti certum ſubſidium nobilitatis oſtenditur.* NAM *neque ille hoc animo erit,neque pol tu eâdem iſtac ætate.) Sic quidem conſentiunt ueteres codices omnes, quos ipſe uiderim.* Verùm *ex* Donato *coniſcimus ad hunc modum eſſe legendum:* Nam *neq; ille hoc animo erit ætatem,neque pol tu &c.* Eius *uerba ſubijciam,ſi quis mihi parũ fidat:* Aetatem,*inquit, pro tam diu quàm longa eſt ætas.* Neque *pol tu eâdẽ iſtac ætate.* πάλιν.Prius *ætatèm aduerbium, & poſteri*

Digitized by Google

ſterius nomen. Hæc ille. Monuit & Nonius Marcellus ætatèm aduerbialiter poni pro diu: quo modo Plaut. in Aſinaria, Aetatèm uelim ſeruire Libanũ ut cõueniã modò. Ergo ætatèm hoc loco pro perpetuò aduerbialiter poſitũ eſt. ANCILLAS dedo, quolibet cruciatu per me exquire licet.) Hæc uera lectio eſt, quã & libri habent in pergamenis deſcripti. Sunt tamẽ in quibus legatur: Quo lubet cruciatu per me exquirere licet, uelut Lugdunenſe, Venetũ, alia plæraq;. Prior lectio magis arridet, quã et uerſus ratio expoſcit: Eſt aũt iãbicus tetrameter catalecticus. Quòd ſi exqrere legas, idẽ fuerit acatalecticus, qualis in hac ſcena nullus. Reſpexit aũt Poẽta hic ad eũ morẽ, quo, oborta criminis de domino ſuſpicione, ſerui in cruciatũ dabãtur, & quæſtionibus tormentisq; ſubijciebãtur. Plaut. in Moſtellaria: Seruos pollicitus eſt Dare ſuos mihi omnes quæſtioni. Id Græci dicũt ἐκδιδόναι. Reſpõdet aũt illi, quod ijdem ἐξαιτεῖν, Latini expoſcere ad quæſtionẽ dicũt, uel in quæſtionẽ poſtulare. ut Cice. pro Cluen. In Miloniana idẽ ſimpliciter poſtulare dixit. OB eã rẽ uis ego ut ego introeã?) Nos: ob eã rẽ uis ergo introeã Sic Do. cũq; eo uetera exẽplaria: ut de eleg ãtia nihil dicam. DICITq; ſeſe illi annulũ, dum luctat, detraxiſſe.) Sunt qui legendum putent luctatur: ſed & alterum illud placet, ut ſit ἀρχαϊσμὸς. Veteres enim actiua uoce in hoc uerbo uſos fuiſſe interdum teſtatur Marcellus, inter alia hoc etiam è Terentio exemplum ſubijciens. Plautus: Quid multa uerba? plurimum luctauimus.

Aetatèm aduerbialiter poſitũ.

Dare quæſtioni τὸ ἐκδιδόναι.

Expoſcere ad quæſtionem τὸ ἐξαιτεῖν.

Lucto pro luctor τῷ ἀρχαϊσμῷ.

mus. Idem in Trinummo: Cum hiſce ærumnis deluctauit. pro deluctatus eſt. VENV*ſtatiſq́; adeo plenior.) Marcellus legit uetuſtatiſq́; adeo plenior, quod ne uitium eſſe exemplaris ſuſpicêre: Vetuſtas, inquit, & antiquitas uel felix uel ſapiens uel manſueta eſt habita. mox ſubijcit hoc ex Terẽtio exemplũ, quoid cõprobet. Sed eſt (opinor)* μνημονικὸν ἁμάρτημα. *Nã ex Donato liquet conſentientibus cunctis exemplaribus, legendum eſſe uenuſtatis: quod & ſenſus expoſcit. Donatus hoc loco: Quis me eſt fortunatior, uenuſtatiſq́; adeo plenior? Ob beneficia, inquit, Veneris: ut contrà inuenuſtus, cui contrà reciderit quod amet. Terent. in Andria: Adeon' hominem eſſe inuenuſtum aut infelicem quenquam, ut ego ſum?* SINAM *ſine munere abire?) In Haſſenſteniano atq; item altero quodam erat, à me abire: quo modo ex impreſſis Venetũ, Lugdunẽſe, alia plæraq;. Quòd niſi metri ratio id poſceret, uideri poterat ab interprete quopiam adiectũ: Nũc quum uix aliter conſtet uerſus, addendũ omnino puto.* HI *quos par fuerat reſciſcere.) Sic quidẽ uulgò. Nos: Hîc quos par fuerat &c. quo modo manuſcriptũ exemplar, nec aliter Don. cuius uerba ſunt: Hîc, in hac comœdia, aut in hac re. Vocum ſimilitudo errori anſam præbuit, ob ſequndante præſertim ſenſu.*

EX PHORMIONE.

EX PROLOGO. Tranſdere pro tradere.

ET TRADERE *hominem in ocium.) Nos ex antiquis: Tranſdere hominem in ocium, quo modo etiam Don. qui adnotauit ueteres trãſdere ſonãtius dixiſſe,*

quod

quod nos lenius tradere: ut è contrario tralatum illi, nos tranſlatum. Sic et trāſducere ueteres, pro quo tra ducere ferè iam dicimus. C. Cæſar III. *belli ciuilis:* Ter *tio die prima luce exercitum uado tranſducit. Sic idē aliâs interdum. Iul.* Frontinus III. *Stratagematū: Per medias, inquit, Cæſaris copias præſidiū Pōpei tranſduxit. Sed &* Terentius *in Adelphis:* Tranſduce *& matrem et familiam omnem, inquit. Ita enim manuſcriptus codex.* PER *quem res agetur maximè.) Nos: geretur maxumè. Sic enim* Donatus *& pleraque exemplaria: inter quæ & manuſcripta.* IAM *pridem apud me reliquum puſillulum.) Ita* Vuitenbergæ *excuſum, & aliæ pleræque huius fidem ſequutæ editiones.* Nos *legimus: relliquum pauxillulum. Nam & geminandū eſſe l in dictiōe relliquum facilè intelliget, qui uerſum uelet in ſuos digerere pedes:* Eſt *enim figura* ἀναλαμ*ᵹμὸς*, *cuius in initio meminimus.* Et *pauxillulum legendum non puſillulum, aut (quod* Moguntinum *quoddā habet) pauſillulum, è* Donato *liquet: cuius hic uerba ſunt:* Pauxillulum, *quartus, inquit, gradus diminutionis, paulum, paululum, pauxillum, paxillulū.* Nec *aliter antiquiſſima quæq; exemplaria.* ALI*quid addant ditioribus.)* Nos: *diuitioribus, ex anquis et* Donato, Reperi*tur autem hoc comparatiuū frequenter apud* Cicero*nem & alios. uelut* III *de* Oratore: Inde *ille licentior & diuitior fluxit dityrambus.* Ouid. *Oppida ſunt regni diuitiora mei.* VIX *dimenſo ſuo.) Sic ferè, in quæ ipſi incidimus, exemplaria. Ceterū nos legendum pu*

Tranſducere, p traducere.

EX PRIMO actu.

Diuitior cōparatiuus.

Demenſum, quod Græci σιτο μίτριον.

tamus:De dimenſo ſuo:addita præpoſitione,ut et Do. & alij:quod trimeter etiam expoſcit,nè quid de conſenſu ueterum exemplarium dicam. Eſt autem demenſum id quod Græcis σιτομίτριον dicitur: In cuius uocis expoſitione mendum eſt apud No. Marcellum in codicibus Aldinis , cuiuis certè potius , quàm Marcello ipſi adſcribendum:ubi adnotatum ſit dimenſum à Terentio hic quaſi diminutum dici.Impegit ad hunc ſcopulum autor quoque Cornucopiæ , qui totidem fermè uerbis hæc in ſuos ipſe commentarios retulit:quod,ut cum iudicio huiuſmodi autores legere adſueſcat iuuẽtus,nobis diſſimulandum non fuit.Rectius Don.Serui, inquit, quaternos modios accipiebãt frumenti in menſem: & id demenſum dicebatur.Plaut.in Sticho: Vos meminiſtis quot Calendis petere demenſum cibũ. Quî minus meminiſtis , quod opus ſit facto, facere in ædibus? Hinc apud AEl.Spartianum in Adriano demenſum μεταφορικῶς appellatur, quod ſenatoribus ad certum numerum et tempus dabatur:de quo aliás plura.

Defrudare pro defrudare.

SVVM defraudans geniũ.) Nos:defrudans:quo modo uenerãdæ uetuſtatis codex:nec aliter quidã citãt, inter quos No.Marcellus. Quin apud Plautũ ſubinde reperitur defrudare,uelut in Aſinaria : Ten' ego defrudem? quoi ipſi nihil eſt in manu,Niſi quid tu porrò uxorem defrudaueris ? quem locum & Marcellus citat.NESCIS quo in metu,& quanto in periculo ſim.) Manu ſcriptũ exemplar habet πληθυντικῶς: Quanto in pericło ſimus,conſentiente ex impreſſis Lugdunenſi

&

et quodã Argentoratenſi: Quæ *ſi lectio placet, in mẽſione eliditur s in uerbo ſimus, ut ſit quarto loco anapæſtus.* NAM *quæ inſcitia eſt, Aduorſum ſtimulũ calces?)* Haud *ſcio pronunciatiuè magis an percontatiue efferendum ſit.* Nam *inueni in manuſcriptis et quibuſdam impreßis, uelut* Lugdunenſi *&* Veneto *(ut alia omittam) ad hunc modum:* Nanque *inſcitia eſt, Aduorſum ſtimulum calces: quomodo & apud* Priſcianũ. Verùm *utrocunq; modo legas, haud multùm refert.* INTE*rea dum ſedemus illic.)* Nos *illî, ut &* Don. *& pleraq; exemplaria: nec aliter uerſus, niſi ſi elidendũ putes* τὸ *s in uerbo ſedemus.* DONA*ti uerba ſunt:* Illî *pro ibi. ut,* Illî *mea triſtia facta.* Et *nota illî pro illic.* NVVC OMITTE, QVAESO, HVNc.) Nos *amitte, ut* DONAT*us et libri peruetuſti: nec ſecus à doctis citatur.* Eſt *autem amittere idem hoc loco, quod dimittere: Sic enim apud antiquos accipi ſolitũ teſtatur* Don. MODO *quandam uidi uirginẽ huic uiciniæ.)* Sic *fermè exemplaria habent.* Verùm Donatus *aliter legit: cuius ſubijciam uerba:* Aduerbium *in loco eſt, inquit, hic uiciniæ: cuius ad locum, huc uiciniæ.* Hæc *ille, et rectè mea quidem ſententia, ut pro eo accipiatur, quod eſt in hac uicinia.* Idem *in* Andria *adnotauit in prima ſcena ibidem legi:* Commigrauit *huic uiciniæ, uel huc uiciniæ, ut ſit uiciniæ* παρέλκον. Priorem *lectionem agnoſcit lib.* XVII. Priſc. *pro in hanc uiciniam.* Præterea No. Marcellus, *qui libro* De *propr. ſerm. adnotauit datiuum pro accuſatiuo poſitum.* QVAE *ma*

Illî pro ibi.

Hic uiciniæ.

Huc uiciniæ.

ter, quî cognata tibi ſit, omnia hæc Confingam, quod erit mihi bonum atq; cõmodum.) Hæc uera lectio eſt, quam fermè recentiores codices habent. In nonnullis impreßis, uelut Argentoratenſi & Lipſico quodã e-rat: *Quæ mater, quæ cognata tibi ſit:* ſed mendoſè. Si gnificat autẽ quî, unde: uel (ut Donatus) quo mõ et qua ratiõe. In illo quod ſequitur, mihi quidẽ nõ admodũ arridet expoſitio Donati: quod illius pace dictũ uelim. Quid ille adnotarit, q legere uolet, ex eius cõmẽtarijs petat. Mihi (ut paucis dicã) particula quod pro καθ᾽ ὅτι uel καθ᾽ ὅσον, quod Latini quatènus dicũt, accipi hoc loco uidetur. Vt ſit ſenſus: Hæc oĩa comfingã et cõminiſcar, quatènus ex uſu meo uidebitur, & quãtũ mihi cõmodũ erit: uel eatènus cõfingã, quoad quidẽ erit utile atq; in rem meã, aut quatènus potißimũ expedire mihi conducereq; arbitrabor: aut quoad eius fieri oportere, et bono fore cauſæ huic intelligã. Sic et Cice. ad Atticũ: Nũc uerò cẽſeo quod cõmodo tuo facere poteris, uenias ad id tẽpus quod ſcribis. Sic ſæpe aliás. *REtinere, amare, amittere.)* Sic habet uera lectio. Cæterũ codices qdã uelut Vuittẽbergenſis et alij plæriq; habent admittere poſtrẽo loco, mendoſè uidelicet: id quod illa ſequẽtia ibidẽ docent. *Ego in eũ incidi infelix locũ, ut neque mihi eius ſit amittendi, nec retinendi copia.* Facit nobiſcum Donatus. Porrò inſcitè fecerint et mehercle ingratè ſiqui hoc erratum aut ſimile quid Philippo adſcribere uelint, quod eſt oſcitantibus typographis, & eorum correctoribus uel indoctis uel indiligentibus adſignandũ. *NAM abſq; eo eſſet, Rectè ego* mihi

Quod pro καθ᾽ ὅτι uel καθ᾽ ὅσον.

mihi uidiſſem.) Deerat in quibuſdam pronomen ego: quod addendum eſſe uetuſti codices docēt. ALIQuid *conuaſaſſem,atq; hinc me conijcerem protinus in pedes.)Nos:protinam in pedes.ita enim Sex. Pompeius lib.XIIII.ubi hoc Terentij citat.Meminit huius uocis M.Varro lib.VII.Præterea Don.ait Nigidiū hic protinam legere,atq; ita hoc loco fuiſſe.pro eo quod dici* Protinam *mus protinus. Conſentiunt nobiſcū aliquot exemplaria.* ꝓ ꝓtinus. *Vtitur & Plaut.aduerbio protinam in Perſa & in Curculione.ubi exinde me illico protinam dedi, inquit. Conuaſare autem eſt compilare hoc loco atq; in ſarcinam componere,quæ auferre tecum atq; aſportare uelis.No.Marcellus:Cōuaſare dicitur furtò omnia colligere,inquit. Haſſenſtenianus codex habebat hic: Aliqd corraſiſſem:quod uerbū è ſpacio irrepſit in contextum:Nam ſic quiſpiam interpretatus fuerat τὸ con*- Cōuaſare *uaſaſſem.* DOMVM *ire pergā,ibi plurimū eſt.) Sunt* τὸ συσκευάζε- *codices,qui habeant:ubi plurimum eſt:uelut Argento* σθαι. *ratenſis quidam & Venetus,quo modo de doctis aliqui citant: Sed ſenſus utrunq; admittit.Plurimum pro* Plurimū ꝓ plęrūq;. *plærunq; poſuit Teren.τὸ πλεῖστον, ut græci dicunt.ue* Locus ex *lut in Digeſt.Iura cōſtitui oportet (ut dicit Theophra* Pandectis. *ſtus)in ijs,quæ ἐπὶ τὸ πλεῖστον accidunt: non in ijs, quæ ἐκ παραλόγου. Tametſi exemplar Noribergæ excuſum habet ad hunc modum:Iura conſtitui oportet(ut dicit Theophraſtus) in his, quæ ἐκ παραλόγου ἐπὶ τὸ πλεῖστον accidunt . mendoſè uidelicet: id quod ea, quæ latinè mox ſequuntur, indicant: Ex his, quæ fortè uno ali*-

quo caſu accidere poſſunt, iura non conſtituuntur. Nam ad ea potius debet aptari ius, quæ & frequenter & facilè, quàm quæ perrarò eueniunt. Digeſt. I. Tit. III. Opponuntur enim ἐκ παραλόγου, & quod ſequitur ἐπὶ τὸ πλεῖστον. Reſtituit hunc locum Budæus. QVID faceres, ſi aliquid grauius tibi.) Codex Haſſenſtenianus habet: Si aliud qd grauius &c. quo mõ ex impreſſis quidam. NE te iratus ſuis dictis protelet.) Nos: Ne te iratus ſuis ſæuidicis dictis protelet. Ita manuſcriptum exemplar, & de impreßis quædã: præterea Donatus Romæ excuſus. Sunt in quibus legatur: ſuis ſæuis dictis: quod & ipſum placet. Eſt autem protelare abigere & longe propellere. Turpilius apud Marcellum: Propter peccatum pauxillum indignißimè patria protelatum eſſe ſæuitia patris. Hîc exagitare ſignificat & perturbare: de q̊ Don. plura. Videtur autẽ neſcio quo pacto mirificè ſenſum iuuare τὸ ſæuidicis dictis: quo immanẽ Geta heri excandeſcentis inhumanitatem & atrocitatem uerborum exprimere uoluit. Ergo ſæuidicis dictis. q. d. qui nihil niſi ſæuum iam & triſte, niſi durum & aſperum loquetur. Eſt & mollior uerſus, ſi legas ſæuidicis, quàm ſi ſæuis: nam alterutrum planè carminis ratio expoſcit. Nonius Brixiæ excuſus ſæuidicis habet. Plautus in Captiuis ſimili cõpoſitione dixit falſidicis fallacijs: nequem hîc inſolentia ſermonis offendat. AH Quid ais? quô abis Antipho?) Nos: Quid agis? ex Don. & antiquis. Ille enim hoc loco: Perturbati, inquit, interceſſoris eſt dicere:

Protelare.

quid

quid agis? ut alibi : Mea Glycerium quid agis ? NEC *meum imperium, age mitto imperium &c.)* Exemplaria Venetũ, Lugdunenſe, alia plæraq; habent *omitto: manuſcriptum uerò mitto*. Vtrumcunq; legas, idem erit ſenſus. Mittere enim κατὰ ἐναλλαγὴν figuræ pro omittere interdum accipitur. uelut apud Virgilium: *Mitto ea quæ muris bellando exhauſta ſub altis*. XI. Aen. Quòd Don. admonet legi & taceo hoc loco, id ego ex interpretatione alicuius irrepſiſſe in contextũ puto. Nã q̃n alterũ magis Terẽtianũ ſit, quis dubitet? præſertim quum eodẽ modo Cicero in II. ad Atticũ: *Sed mihi, inquit, nihil eſt moleſtius q̃ Statium manumiſſum, nec meum imperium, omitto imperium, non ſimultatem meam uereri ſaltem, nec quid faciã, ſcio*. Hæc uidelicet totidẽ fermè uerbis ex hoc loco ſumpſit Ci. ut & alia ex Teren. multa: quod nõ dedita opera ſemper, ſed imprudentẽ facere puto: ut qui aſſidua optimi poëtæ accurataq; lectione hoc foret conſequutus, ut etiã non animaduertenti integræ ipſius ſentẽtiæ, integri interdũ uerſus exciderẽt. NON *ſimultatẽ meã reuereri ſaltẽ?)* In recentioribus τὸ ſaltem additum eſt ſequentibus, ſed perperam, quum ex illo Ciceronis, quod iam citauimus, liqueat ſuperioribus eſſe addendum. Præterea No. Marcellus *uereri* legit hoc loco, non *reuereri*, ſed eſt μνημονικὸν ἁμάρτημα: Dicimus, inquit, uèretur illam rem, ſicuti et conſuetudo & Terẽ. Phor. autor ẽ dicẽs: *Nõ ſimultatẽ meã uereri ſaltẽ?* Veteribus g:ũm pro accuſatiuo põi placet etc. QVAmob

rem

EX Secundo actu.

rem omnes,quum ſecundæ res &c.) Lege: *Quom ſecundæ res ſunt maxumè, tum maxumè* Meditari *ſecum oportet.* Perperam *enim omiſſæ ſunt duæ iſtæ uoces,tum maxumè:quas &* Don.*addit & carminis ratio poſtulat.* Don.*hoc loco inter alia:* Bona *ſententia, in quit,* Tum *maximè ſapienti metuendum, quo tempore maximè ſecurus eſt ſtultus.* Citat eodem modo Ang. Politianus *in defenſione* Epicteti. *VSQue molendum eſſe in piſtrino.)* Nos *omiſſo uerbo ſubſtantiuo, ad hũc modum legimus:* Molendum *uſq; in piſtrino, uapulandum,habendæ compedes.* Quanquam *interpres molen dum eſſe legit:ſed ita ut alterius quoq; lectionis memi nerit,nec utrunq; (nam octonarius repugnat) ſed alterutrum horum legi uelit. Eius uerba ſunt :* Habendæ *compedes.* Vitioſam,*inquit,loquutionem ſeruili perſo næ dedit* Teren.*nam integra eſſet,ſi diceret habendas compedes.unde quidam non eſſe,ſed uſq; legunt.* Hæc *ille.* SALVVM *te uenire.)* Videtur *omittendum pronomen te:quod in omnibus tamẽ additũ reperi.* EHO *an id ſuccenſes nunc illi?)* Nos: *Eho an tu id ſuccenſes &c.ut habent manuſcripta exemplaria,conſentientibus impreßis quibuſdam, uelut* Lugdunenſi, Veneto, Argentoratenſi. *Mihi illud tu momenti aliquid facere ad ſententiam uidetur, & ἔμφασιν quandam habere.* QVVM *ille abeſt, hic præſtò eſt.)* Sic *deprauatam fe rè ubiq; lectionem reperi.* Cæterum *manuſcriptũ exẽplar habet:* Quom *ille eſt, hic præſtò eſt : quo modo* Donatus *quoq; legit, qui inter alia ſic ait:* Quom *ille*

eſt.

eſt. ζεῦγμα ſecundum. nam & hic ſubaudiendum eſt, in noxia. Hic præſtò eſt. ad defendendam cauſſam ſubauditur. Sic ille: Nec ſanè aliter ſenſus poſcit. Qui locum deprauarunt, ijs impoſuit, quòd arbitrarentur hoc loco opponi inter ſe abeſſe et præſtò eſſe: quod ſecus habere quiuis facilè uideat. Eſt igitur ſenſus: Quũ Antipho deliquit, Phædria defendit: quum deliquit Phædria, defendit uiciſſim Antipho. Propterea addidit ſenex: Tradunt operas mutuas. hoc eſt: uiciſſim ſe in peccatis defendunt. CVM illo haud ſtares Phædria.) Seruius legit: Pro illo haud ſtares: quo modo Virgilius cecinerit VIII. Aen. In ſummo cuſtos Tarpeiæ Manlius arcis Stabat pro templo. i. pro defenſione tẽpli. Et in IX. Ipſi intus dextra ac læua pro turribus adſtant. Don. uerò, cum illo legit. atq; uſurpatum ἀντὶ τοῦ pro illo: In eius parte ſtamus, inquit, pro quo facimus. Sic Virgilius: Iupiter hâc ſtat. T. Liuius VII. Bel. Aſiatici: Quia in Africa aduerſus Syphacẽ & Carthaginienſes fideliter atq; impigre uobiſcum ſtetit. Sic aliâs idem ſæpe. Stare igitur cum quopiam, idem eſſe puto, quod græcis, πρός τινος εἶναι, id eſt, alicui ſtudere & fauere, & eum tueri: quod ipſum latinè quoq; (ni fallor) dicere liceat, eſſe ab aliquo. Cicero ab aliquo ſtare dixit in eodem ſenſu. Velut in Bruto: Vt nemo contra ciuium perditorum popularem turbulentamq; dementiam à ſenatu & à bonorum cauſſa ſteterit conſtantius, id eſt, pro partibus ſenatus & bonorum. EX Qua re minus rei foret aut famæ temperans.) Sic habet uera

Stare cum quopiam.

Stare ab aliquo.

bet uera lectio, adſtipulãte manuſcripto codice. Sed in quibuſdam, uelut Lugdunenſi, *&* Veneto *reperitur obtemperans, quemadmodum* Sypõtinus *quoq; citat, ſed mendoſè, quũ ſecus legendum è* Donato *liqueat:* Temperans, *inquit,* conſulens, prouidens, moderatus, *ut, Iam ſibi tũ curuis malè tẽperat unda carinis.* NON *cauſſam dico, quin quod meritus eſt ferat.)* Manuſcripta *exemplaria, & de impreſſis quædã habent: Quod meritus ſit. quo modo* Don. *quoq; legit. Sed ſenſus & carmẽ utrunq; patitur.* Cauſam *dicere hic idem, quod renuere, recuſare, repugnare ſignificat: quod & cauſari interdũ & cauſificari dicitur, id eſt, aliquid ad defendendũ adferre.* Plaut. *in* Captiuis: *Hoc ſi ſecus reperies, nullã cauſſam dico, quin mihi & parentum & libertatis apud te deliquio ſiet. Idem in* Amphy. *Atq; is ſi deneget* Facta, *quæ tu facta dicis, qd tibi eſt æquom fieri? Nunquid cauſſam dicis, quin te hoc mulctem matrimonio? Sic aliâs ſæpe.* P. SI *rogabit.* G. *in te ſpes eſt.* P. *ecce rem.)* Nos *ex collatione antiquorum uoluminum ad hunc modum legendum ſuſpicamur:* P. *ſi rogitabit.* G. *in te ſpes eſt.* P. *eccere. Sed & exẽplar ipſum* Moguntinum *anno* M. D. XXI. *excuſum, ecce re habet.* Nos *eccere unam dictionem eſſe putamus: quæ & apud* Plaut. *aliquoties occurrit, & explicatur à* Sex. Pompeio *his uerbis: Eccere iuſiurandum eſt, ac ſi dicatur per Cererem, ut æcaſtor, ædepol. Alij eccere pro ecce poſitũ accipiunt. Hæc lib.* V. *In manuſcripto haud ſcio cuius manu contaminata erat uera lectio, ad*

Cauſſam dicere. Cauſſari. Cauſificari.

dita præpoſitione de,& quidem una litera minuſcula cõpendioſè notata ad hunc modum ꝺ. Erat in altero quodã:Ecce in re,ſed æquè mendoſè,ut & ſuperius,repugnãte utrobiq; carminis trochaici ratione. Videtur aũt præpoſitio adiecta abs quopiã locũ explicare uolente. Sicut eccere in ecce rem à ſciolo quopiam uocis inſolentia offenſo deprauatũ adpâret. CEDO dum, en unq̃ iniuriarum audiſti mihi ſcriptã dicam?) Sic ferè exemplaria & rectè. Cæterum ſunt quæ habeant, An unquam iniuriarum &c. uelut Lugdunẽſe, Lipſicum, alia pleraq;,ſed mendoſè. Indoctus quiſpiam locum deprauauit, qui non intellexerit uim huiuſce particulæ en,quæ interrogationi nonnunquã conuenit. quo in ſignificato iungitur ferè aduerbio unq̃ apud primæ notæ ſcriptores. T. Liuius X. Bel. Punici ſecundi, Quoties in concilijs uoces manus ad cœlũ porrigentiũ auditas,en unquam ille dies futurus eſſet, quo uacuam hoſtibus Italiã bona pace florentem uiſuri eſſent? Virg. in Buc. En unq̃ patrios longo poſt tempore fines &c. Hallucinatus eſt eo in loco Badius. Idem alio loco diuiſit κατὰ ἐπένθεσιν En erit unq̃ ille dies? Silius XVI. En unq̃ lucebit in orbe ille dies &c. Terẽ. in proxime ſequenti ſcena, En unq̃ cuiq̃ contumelioſius Audiſtis factam iniuriam? pro ècquando uel nunquando audiſtis. Hæc pluribus inculcaui, nèquis facile aliquid in bonis autoribus immutare ſibi permittat. QVID ISTHVC? PH. QVIA NON RETE accipitri tenditur.) Manuſcriptus codex habet: Quî iſthuc? quod rectius eſſe arbitror

En unquã pro ecquã.

bitror

bitror. ILLIS *qui nihil malefaciunt tenditur.)* Nos, *illis qui nihil faciunt &c. omiſſo aduerbio malè. Sic et uetuſti codices et* Don. *cuius uerba ſunt: Illis qui nihil faciũt tẽditur. non ſic accipe, nihil faciũt, quaſi dicat, nec bene nec malè: ſed quũ legeris, nihil faciũt, ſubaudi to nobis malè.* TENE *aſymbolum uenire unctum atque lautum è balneis?)* Hæc *quidem uera ſynceraq́ꝫ lectio eſt, Miror autem, unde tandem illud, quod exẽplaria quædam habent, irrepſerit: Téne ad ſymbolum uenire, quomodo & manuſcriptum, & ex impreßis* Lugdunenſe, Venetum, *alia plæraq́ꝫ, Sypontino quoque ita citante, ſed mendoſè.* Eſt *autem* ἀσύμβολος, *qui ad conuiuium nihil confert. latinè uno uerbo dicitur immunis, qua uoce utitur* Gellius *hoc in ſignificato libro ſexto* Noctium *Atticarum, capite decimotertio:* Ne *omnino (ut dicitur) immunes & aſymboli ueniremus, coniectabamus ad cœnulam, non cupedias ciborum, ſed argutias quæſtionum.* Sic *&* Oratius *in* Odis. *Donatus ait inter paraſitos confictum atque compoſitum eſſe hoc nomen* ἀσύμβολος. *Contrà illud in Andria, Symbolam dedit, cœnauit.* HAEC CVM RATIONE *ineas, quàm ſint ſuauia.)* Haud *ſcio, an quod exemplaria quædam habent, rectius ſit,* Quom *rationem ineas. pro æſtimes atq́ꝫ expendas. ut Dona. interpretatur: Sed nihil ſtatuere hoc loco poſſum.* POST ILlam *iam, ut lubet, ludas licet.)* Eſt *in codice manuſcripto, Poſt illa iam ut lubet. & cætera: quæ una demum uera germanaq́ꝫ lectio eſt, contrà quã cætera*

Ἀσύμβολος qui latine immunis.

exemplaria

exemplaria habent. Poſt illa autem pro poſtea accipitur: quomodo apud Plautum ſæpe. uelut in Curculiõe: Sed eum, inquit, qui mihi uendidit illã, nunquam poſt illa uidi. pro poſtea, uel poſt illud tẽpus. In Captiuis: Semel fugiendi ſi data eſt occaſio, Satis eſt, nunquam poſt illa poſsis prændere. In errorem induxit librarios, quòd putarent pronomẽ referendum ad coitionẽ. IAM *ego hunc agitabo, Prô deûm immortaliũ fidẽ.) Nos omittimus fidem, ut Don. qui* ἐλλείπειν *eſſe ait, deeſſeq́; uel fidem uel eiuſmodi aliud quippiam: quo modo loquutus ſit Cicero quoque in Oeconomico. Eodem modo uetuſtiſsimi quiq; codices: nec omiſſo accuſatiuo, ullum ſentit detrimentum uerſus. Quòd Priſcianus aliter citat libro* XVIII. *eſt (ut dicitur)* μνημονικὸν ἁμάρτημα. *Agitabo hîc pro exagitabo, irritabo, perturbabo accipitur. Nam idem planè eſt quod Græcis nonnũquam* ἐξάγω, *ſtimulo, concito, uehementer commoueo, &* παροξύνω: *cuius in commentarijs meminit Budæus.* SI HERVM *inſimulabis auariciæ, malè audies.) Manuſcripti codices habent maliciæ, ubi impreſsi plærique auariciæ. Nos poſterius hoc relinquendum putamus. Malè audire hîc idẽ eſt, quod Græcis* κακῶς ἀκούειν. *Sic Cic. Qui adoleſcentulus malè audiſſet. et alibi. Non quô libenter malè audiam. Contrarium eſt bene audire. Terẽtius:* Benedictis *ſi certaſſet, audiſſet bene:* ETIAM *me ultrò accuſatum aduenit.) In quibuſdam ita legitur: O audaciã, etiámne ultro &c. eſtq́; et acrius & lepidius. quale illud Liuij* IIII. *ab* V. C. *Prædæ*

Poſt illa, pro poſtea, quod Græci μετὰ ταῦτα.

Agitare τ' ἐξάγειν καὶ παροξύνειν.

Malè audire quod Græci κακῶς ἀκούειν.

Bene audire.

ne interceptorem fraudatoremq́; etiam malum mina ri militibus? q.d. indignum facinus, & rem minimè ferendam. Eſt enim uox ſtomachantiũ, & rei indignitate frementiũ. Quantũ uerò è Don. *colligere licet, alterum illud rectius eſt.* Don. *in hũc locũ uerba ſunt:* Hic *iam, inqt, oſtẽditur perſuaſum eſſe* Demiphõi, *uim adhibitã filio ſuo uxorẽ ducere, uno, quũ hunc audacem appellat: altero, quòd dicit etiã: quæ coniũctio et* An*tiphonẽ cõplectitur. et ſic, accuſatum aduenit.* CVI *in opere uita erat.) Sic manuſcripti qdẽ codices, & multò maxima pars de impreſſis. Sed è* Don. *conijcimus legendũ: Cui opera uita erat. Ita enim ille in hunc locũ:* Hic *oſtendit, inquit, q̃ pauper fuerit. et opera ſeptimi caſus eſt, et uita nomĩatiui. Paulò pòſt:* Opera, *inquit, pro actu poſuit. et opera hic ablatiui caſus eſt. Meminit huius etiam* Priſc. *lib.* XV. *ꝓ cui hic diſſyllabũ eſſe. ut ſit ſecundo loco tribrachys: Sin monoſyllabum eſſe malis, nulla fiet colliſio. Né quid tamen diſſimulem, illa altera lectio mihi tolerari poſſe uidetur: Cui in opere uita erat. pro qui ruri agrum colendo et opus ruſticũ faciendo uictum quærebat, aut uitam tolerabat: ut ſub audiatur faciendo, quod in codice* Haſſenſteniano *qui* Facere opus ꝓ ἐργάζεσθαι. *ſpiã addiderat. Nã facere opus apud* Terentiũ *non ſemel pro in agro laborare fodiẽdo arãdóue accipitur. uelut in* Heau. Quod *in opere faciundo operæ conſumis tuæ. et hic: Opus ruri faciundũ. Aliás facere opus propriè uerbum eſt caſtrenſe, ſignificatq́; caſtra communire, foſſam & uallum circundare: quo modo ſæpe*

apud

apud hiſtoricos Titum Liuium & C. Cæſarem uſurpatum inuenies. Inde in opere eſſe milites dicuntur, quum uallo foſſaq; mœnia cingunt, uel turres extruunt, uel cuniculos in urbem agunt. Vnde immunes operum militarium apud Liuium VII. & ad opus milites traducere V. et opera pro ipſis munitionibus ſæpe apud eundē. Occupati in opere Cæſar I. Bel. Gallici. ab opere reuocare milites, et ab opere diſcedere ibidem. ABI in malam crucem.) Abi hinc malam crucē. Ponitur autem aduerbialiter, ut huc uicinæ: ſicuti adnotauit Donatus. Sic in Eunucho: Malā rem hinc ibis. quod aliquis non intelligens, deprauauit locum. In mēſione uerſus tollendum eſt s in uerbo narras, quod proximè antecedit, ut ſit quarto loco iambus. AIN' tandē carcere.) Sic Vuitenbergenſe & quædam inde propagata: Sed & manuſcriptum eodem modo: ubi aliquis ſubaudiendum adnotarat, dignus. Nos uero carcer legimus caſu uocatiuo. Eſt enim αὔξησις: quod & interpres indicat his uerbis: Non carcerarium, inquit, ſed carcerē aſperius appellauit. Sic Lucilius: Carcer uix carcere dignus. Verùm hoc quidem leuius, q̄ ut adnotari debeat, nōnullis uiſum iri ſcio. PROinde expiſcare, quaſi non noſces.) Hæc uera lectio eſt. Sed perperam quidam legunt: Perinde expiſcare: ut & Sypontinus alicubi citat. Eſt autem próinde hîc ſimilitudinis aduerbium, & pro përinde accipitur: quo in ſignificato apud Ciceronem in V. Verr. & Saluſtiū reperitur. Plautus: Próinde heri ut ſint, ipſe item ſit. Pius

In opere eſſe.

Immunes operū militarium.

Opera p ipſis munitionibus.

Próinde p perinde.

correcturus hunc locum magis deprauauit: Nec uidetur homo Italus particulam hanc, quid ſibi uellet, ſatis intellexiſſe, cuius in locum, ubicunque in Plauto occurrit, perinde ſubſtituit : quum ſit & elegans & multo in uſu ueteribus autoribus, præcipuè uerò Lucretio poëtæ. QVI *mihi cognata eſſet.*) Nos: *Cognata ea eſſet, dicerem, itidem tu face: ex obſeruatione antiquorũ exemplariũ, nec aliter ſenarius.* Τὸ *cedo pertinet ad initium ſequentis uerſus, Ita uterq; erit trimeter perfectus.* IT*Ane tandem, quæſo, meretricem ubi abuſus ſis.*) *Locum hunc corruptum haberi in recentioribus hiſce exemplaribus, quis non ſtatim ſentiat? Nos uerã & Germanam lectionem eſſe credimus: Itáne tandem, quæſo, itidem ut meretricem ubi abuſu' ſis, Mercedẽ dare lex iubet & cætera. Ita enim codices manuſcripti. licet in quibuſdã omiſſa ſit particula illa ut: quod factum crediderim uicio librariorum. nam ſenſus planè hãc exigit.* CVIVS *cuiq; mos eſt.*) *Nos omittimus uerbũ eſt, ex obſeruatione uetuſtæ lectionis: quod nec ſenſus magnopere deſiderat. Etenim abeſſe plærunq; idem ſolet cum elegantia ſine detrimento ſententiæ: ut & Gellius teſtatur libro V. capite VIII.* VT *phaleratis dictis ducas me, & meam ductes gratis.*) *Hæc quidem eſt uera lectio: Sed exemplar Venetum, Lugdunenſe, alia plæraque habent: Seducas me, ſed mendoſè. Sunt etiam in quibus legatur: Meam duces gratis: ſed & hoc quoq; mendoſè. quum ſit ductes legendum. Ponitur hic autem ductare in obſcœna ſignificatiõe: quomodo*

EXTERtio actu.

Ductare ubi obſcœna ſignificatione.

modo apud ueteres accipi ſolitũ, uel ex eo loco Fabij, qui eſt in VIIII.*Inſtit.Ora.cap.*III.*colligitur,ubi ait; Sed quoniam uicia prius demonſtrare adgreßi ſumus, uel hoc uitium ſit,quod* κακέμφατον *uocatur: ſiue mala conſuetudine in obſcœnum intellectũ ſermo detortus eſt,ut ductare exercitus,& patrare bellum apud Saluſtium: ſiue iunctura deformiter ſonat, & quæ ſequuntur.* Meminit huius & Diomedes II. *Argyrippus in Aſinaria ad lenam:Solus ſi ductem, referre gratiam nunquam potes.*LE.*Solus ductato, ſi ſemper ſolus quæ poſcam dabis.Sic aliás ſæpe.Phaleratis dictis* μεταφορικῶς *pro honeſtis atq; ornatis uſus eſt Poëta: Nam proprie phaleræ equorũ atq; itẽ equitũ nobiliũ ſunt ornamenta.Exempla paßim obuia.* NAM *neque quo modo à me amittã inuenio.) Rectius eſſe opinor, quod in quibuſdam, uelut Veneto reperi: Nam neque quo à me amittam &c.quo modo etiam à doctis citatur hic locus, omiſſa uidelicet particula modo:quam et trochaicus reſpuere uidetur. Diſſentiunt tamen codices in mẽbrana deſcripti. Aut uti retineã ſcio.)* Nos: *Nec uti retineam ſcio: ex manuſcripto.* ET *quid porrò ſpes eſt?)* Nos: *Ecquid ſpei porrò eſt? pro nunquã ſpes:quo modo habent Venetum,Lugdunenſe,Argentoratenſe,alia quædam bonæ fidei exemplaria:néquid de ſenſu dicam. Facilis autem hoc loco fuit lapſus particularum ſimilitudine, quæ non hic tantum impoſuit librarijs.*DVM *id quod eſt proximũ ab amicis argentum aufero.)*Nos,*Quod eſt promiſſum ab amicis ar-*

Phalerata dicta.
Phaleræ, ꝗ Græcè φάλαρα.

gentum &c. quo modo & manuſcriptum uolumen ha bet, & ſenſus deſiderat. Prior lectio eſt in Vuitenber genſi, & ab hoc propagatis. IAMNE ea præterijt?) Nos omiſſa particula illa ne. Iam ea præterijt? legendum putamus. Monuit enim interpres interrogatiuè pronunciandum eſſe: quod non erat quur faceret, ſi legiſſet: Iámne ea præterijt? Habet præterea eodem modo manuſcriptus codex: nè quid de ratione metri dicã. Pauló pòſt ibidem leges: Non, uerum hæc ei ante ceſſit: ubi inuerſus erat uerborũ ordo, contra atq; in

EX QVarto actu.

ueteribus habetur. AD me profectã eſſe aiebãt.) Nos ex pleriſq; exẽplaribus omittendũ ſuſpicamur ꝓ eſſe, & quidem ſine detrimẽto carminis. Sed et ſenſus, illo etiã omiſſo, probè cõſtat. Verũ diſſentiente manuſcripto, nihil temere mutare auſim. NAM hãc conditionẽ ſi cui tulero extrario.) Hæc uera lectio eſt. Sed manuſcriptũ, & ex impreſſis Lugdunẽſe, Venetũ, atq; alia pleraq; extraneo habẽt, mẽdoſè uidelicet. Eſt autẽ ex

Extrari⁹.

trarius idẽ quod alienus, & nulla generis cognatione aut ſanguinis propinquitate iũctus. undè paulo poſt

Conditionẽ ferre.

ſequitur, Ille ſi me alienus adfinem uolet &c. Per cõditionẽ uero nuptias puellæ clàm ex uxore Lẽnia ſuſceptæ intelligit. Hinc et apud Liuiũ cõditionẽ filiæ quærere, lib. ab. V. C. III. Inuenire cõditionẽ apud Plautũ in Truculento, Dicã, ut aliã conditionẽ filio inueniat ſuo. pro aliã filio uxorẽ quærat. Conditionẽ accipere apud eundẽ in Aulularia, ubi Megadorus cum Euclione de filiæ eius nuptijs agẽs, Tu, inquit, cõditionẽ hãc

Conditionẽ filiæ quærere.

Inuenire cõditionẽ filio.

Cõditionẽ accipere.

accipe

accipe,auſculta mihi,atq; eam deſpōde mihi. NEq; de*feciſcar unq̃ ego.)* Nos, *Neq; defetiſcar uſq; adeo ex-peririer.* Sic Priſ.legit, *quomodo etiam aptè quadrat, quod mox ſequitur:*Donec tibi id quod pollicitus ſum *effecero.*Habet ita *& manuſcriptũ exēplar.* Neq; ue*ro dubiũ, quin ea demũ uerior ſit & ſyncerior lectiò. niſi quis legere malit, uſque eô, quo Cicero ferè uti-tur, unde facilis ſanè lapſus fuit in illud, quod hodie exemplaria habent.* In Veneto eſt: *Vnquam adeo ex-peririer.* SALVVM *uenire uolupe eſt.*) Don.*uolup legit,*Hoc *uolup,inquit, modo eſt, ut hoc facul.*Sic e*nim ueteres per apocopam loquebãtur. Ita ille.*Repe*ritur apud Plautum atq; Ennium hæc particula,cuius & Nonius meminit.* EGO INQVIT *à principio ami ci filiam.)* Nos,*iam à principio,quo modo habent ma-nuſcripti codices, eſtq́ue quum elegantius,tum magis Terentianum.*ALIquantum *quæ adferret,quî diſſol-uerem.)* Nos *legẽdum ſuſpicamur aliquantulum,ut ue tuſtiſſima quæque ex impreſſis,idem expoſcente ratio ne metri.licet exemplaria refragentur calamo deſcri-pta,quæ ſi ſequi malis, erit in ſecunda regione carmi-nis ſpõdeus, nulla facta uocalis aut diphthongi potius eliſione:quod interdũ apud Comicos fieri,initio huius libelli oſtẽdimus.* SI *illã dant,hãc ut amittã.)* Nos,*mit tã,ex* Haſſenſteniāo, *quod et ſenarius exigit.*Ponitur *autẽ pro omittã* κατὰ ἐναλλαγὴν *figuræ.* IAM *accipi at,illis repudiũ renũciet.)*Nos *ex manuſcriptis et qui buſdã impreſſis:*Iam *accipiet;uidelicet mõ indicatiuo,*

Volup pro uolupe.

Facul pro facultas.

ut ſit ſenſus:Iam dabitur ei quod poſtulat. Deinde, illis repudium renunciet, modo imperatiuo. Iubet enim nũcium remittere ſponſæ, à quo dotem accepturus erat. INTEREA *amici quod polliciti ſunt &c.)* Nos: *Interea quod ſunt polliciti argentum, dabunt, Id iſtis reddet. Ita ſpectatæ fidei codices, & melior ſanè fuerit uerſus. Porrò aliquis locum explanare uolens adiecisſe uidetur amici, quum id quidẽ ex ſuperioribus intelligi poßit.* QVEM *ſemper te eſſe dictitaſti? Ch. eſt.) Nos ex ſententia doctiſſimorum uirorum ſt legimus, quo Chremes ſilentiũ innuat Sophronæ: Sicut ex Verrio grammatico quidam adnotarunt: è quibus Bap. Pius, & poſt eum Lud. Cœlius. Sunt, qui Chremetem putent, ne ſe ipſe fortè prodat, tertia perſona anui reſpõdere, uerũ primã literam uerbi propter uocalem, qua dictio præcedẽs finitur, eliſam eſſe* κατὰ συναλοιφὴν *atq; ita remanſiſſe ſt: quã ego ſanè opinionẽ non magnopere improbandã puto.* CH. ANtiphonine? So. hẽ *iſti ipſi.)* Nos *legendum ſuſpicamur: Antiphonine inquam? Ita enim quædam exemplaria, ex quibus & Venetum & Lugdunenſe, idem poſtulante carminis ratione: niſi nullam eſſe malis uocalis eliſionẽ in iſti ipſi. Habet autem τὸ inquam ſuam quandam gratiam hoc loco: quod facilè intelliget, qui hîc ſenẽ uiderit nec opinata re perculſum et ſpe metuq; commotum, ſtatim ut audiuit de ædibus, nõ potuiſſe diutius ſeſe continere, quin mox interpellans quæreret: Antiphonine? ipſo uidelicet Antiphonis nomine utendo, ne ſi rogaſſet; Cuinam*

EX Quinto actu. St interiectio ſilentium innuentis.

nam? uel illud ipſum, quod interceſsiſſet moræ, gaudiũ ſuum differret: uel certè memoria aniculæ uoluptati ſuæ obſtaret. Ergo Antiphonine inquam? ait. *Sit hæc cōiectura.* QVID illa altera, quæ dicitur cognata? So. *hæc eſt.*) Nos: Hæc ergo eſt: *ex antiquis codicibus, qui ſic conſtanter habent.* Vt autem Attici (quod Priſ. adnotauit) τοίνυν *accipiũt* ϖαραπληρωματικῶς: *Sic nos frequenter ergo uel igitur repletiui loco accipimus, ut in Aſinaria:* Mihine? *Si. tibi ergo.* Eodem modo Plaut. in Amphitryone. VT Propior *illi quã ego ſum ac tu, nemo eſt.*) Nos *ex antiquis:* Homo *nemo ē.* ITANE *parũam mihi fidem eſſe apud te?*) Codex *manuſcriptus è* bibliotheca Dominorum *ab* Haſſenſtein *habet ad hunc modum:* Quid eſt? Ch. *itáne parum mihi fidē apud te? ut ſubaudiatur uerbũ eſſe, quod* κατὰ ἔλλειψιν *deſit: quæ mihi quidem uera lectio uidetur. Sanè carmen nō magnopere illud eſſe requirit: & ſubaudiendum in ſpacio quiſpiã, quod uerſus dirimit, adnotarat. Significat autem:* Itáne *parum mihi fidē eſſe apud te? idem quod, ita parum mihi credis?* T. Liu. I. *ab* V. C. *Mirum quãtum illi uiro nuncianti hæc fides fuerit, id eſt, quantũ ei creditum ſit.* Idem: *Bouem loquutam, cui rei priore anno fides non fuerat, creditum eſt. In ſumma eſſe fidem ſimpliciter pro credi ponitur. Suetonius in Veſpaſiano: Quũ uix fides eſſet rem ullo modo ſucceſſurã. id eſt, quũ uix credi poſſet, uix ueriſimile eſſet. Celſus paulò aliter* VII. *Vbi eius rei fides ē, pridie is puer in ieiunio continendus eſt, et tũ loco calido curatio adhibenda*

Ergo ϖαραπληρωματικῶς acceptũ, ut græcis τοίνυν

Eſſe fidem pro credi.

Deeſſe fidē *benda.i.ubi ea res planè comperta, exploratáq́; eſt. Contrarium eſt, deeſſe fidem.* Ouid. X. Met. *Deſit in hac mihi parte fides, nec credite factum, id eſt, non habeatur mihi fides. nam* κατὰ ἐπεξήγησιν *ſeſe ipſe declarat.* Iuſtinus XVII. *Nec oſtentis fides defuit, id eſt, factum ita eſt, ut oſtenta portenderant.* IAM*ne aperuit oſtium?*) Nos, *operuit, pro clauſit. ut alibi admonuimus. Vocū ſimilitudo & adfinitas errori anſam dedit.* NI MIHI *eſſet ſpes oſtenſa* Huiuſce *habēdæ.*) Nos *hic oſtentata legimus, ut ferè & manuſcripti omnes*

Oſtentare ſpem. *& excuſi typis codices habent, præter hoſce recentiores. nec aliter citat* Priſc. *Iam hac loquutione, oſtentare ſpem, utitur non ſemel* T. Liu. *uelut lib.* IIII. Dec. IIII. *Sat ſententia non minuere copias:: nē quid interim hoſtes inferāt ignominiæ ſocijs ſpem pro re oſtentandam cenſet &c.* Fuit *(credo) qui in metiendo ſyllaba uerſum abundare ſenſerit: & quum non uideret illam ipſam, quæ ſupereſſe putabatur, ſyllabam ab initiali uocali inſequentis uerſus (ut fit in hypermetris) abſorberi, locum correcturus deprauarit: id quod ſæpe aliás ab audacibus emendatioribus factum depræhendi.* In *quibuſdam reperi: Ni mihi eſſet ſpes oſten-*

Oſtentum pro oſtentatum. *ta, quod ne ipſum quidē diſplicet. Sex. enim Pom. oſtētū participialiter poni pro oſtentatum adnotauit lib. 13. teſtimonio eſſe* Pacuuiū: *cuius ibidē exemplū citat.* Meminit *huius &* Diom. *libro* 1. *Sed obfirmatè decernere haud auſim, utrū ſit rectius, oſtenta an oſtentata: niſi quòd poſterius exemplariū calculo magis approbatur*

batur. TRADIDI *Lenoni,adduxi mulierem.)* *Nos ex manuſcriptis:Abduxi mulierem : quibus cum faciunt Venetum & Lugdunēſe & alia plæraq;.Sic & Plautus in Aſinaria:Quam amabam,abduxit à lenone mulierem.* NVNC VNA *res reſtat mihi, quæ etiam & cætera.)* *Nos ex antiquis : Nunc una res mihi etiam reſtat, quæ eſt conficiunda : ubi etiam pro adhuc (ut ſæpe aliás)accipitur.quod non animaduertentes (credo) uerborum ordinem inuertere ſunt auſi, contrà quàm exemplaria utera habent. Tale eſt illud in Andria:At mihi unus ſcrupulus etiam reſtat, qui me malè habet.* TANTAM FORTVNAM DE IMPROVISO.) *Vt libère quod ſentio dicam, puto ego ſcenam hanc pendère à ſuperiori, eius denique particulam eſſe quandam.Nam illud gaudeo in fine ſcenæ proximæ referendum arbitror ad principium huius ſcenæ, ut ſit hæc ſententia : Gaudeo tantam felicitatem de improuiſo eſſe his datam. Mecum faciunt manuſcripta exemplaria,& ex impreſſis* LVGDVNENSE, VENETVM, *alia plæraque.ipſe præterea* DONATVS. *Quòd ſi ſeparatim per admirationem legere malis,nihil equidem repugno.* IN ANGIPORTVM HOC PROXIMVM.) *Ita quidem exemplaria:ſed* PRISCIANVS *legit : Concedam in angiportum hunc proximum. libro ſexto ubi adnotauit ex* PLINIO *ſecundo,& hic angiportus dici,& hoc angiportum. Poſterioris exemplum ſubdit illud ex Adel. Id quidē angiportum nō eſt peruium. Prioris hoc ex Phormio-*

Etiā pro adhuc.

*Phormione:Sed hinc concedam in angiportum hunc proximum.*EST *ne ita,ut dixi, liberalis?*) In quibuſdã paulò uetuſtioribus,uelut Argentoratenſi & Veneto, erat:*Eſtne ea,ita ut dixi, liberalis?*addito pronomine *ea*:quo modo apertior fuerit ſenſus. Nam de Phanio adhuc loquitur Chremes:de qua prius quàm ad Phormionem uenirent,loqui cœperant. Dicit autem liberalem,quòd & facie eſſet honeſta, & uultu ipſo præ ſe ferret matronalem modeſtiam & ingenuum quendã pudorem. Sic enim & aliâs Poëta utitur,uelut in Andria:*Et quia erat forma præter cæteras honeſta ac li berali* &c.ubi reſpexit ad probitatem uultus & morum. In Hecyra:*Rectè amaſti Pamphile uxorem tuã, perliberalis uiſa eſt.* Præterea in Phormione:*Nã perliberalis uiſa eſt,quum uidi,mihi.*loquitur hoc de Phanio Nauſiſtrata. Adnotauit autem & Sex.Pom.liberales interdum dici, ingenuæ formæ homines. Mihi ad oris probitatem,& ad mores referendum maxime uidetur.ut ſit liberalis,idem quod pudens, modeſta, ingenio liberali prædita, &c. I HINC *in malam rem cũ iſthac magnificentia.*)Quædam exemplaria habent: *I hinc malam rem* &c.omiſſa præpoſitione:ut ponatur aduerbialiter,cuius alicubi meminit Don. Porrò in mẽſione carminis nulla ſit colliſio:de quo initio prolixius egimus. IN ius *enimuero, ſi porrò eſſe odioſi pergitis.*)Hæc uerba,*in ius*,quidam codices non habent,nec ſenarius exigit. Quòd ſi quis addi malit, non magnopere reluctabor:præſertim quum manuſcriptus codex adſtipuletur

Liberalis

adſtipuletur. Verũ ſic diſtinguas oportet: In ius? enim uero ſi porrò &c. Eſt *enim eniuero principiũ aliquid per iram dicturi, inquit* Don *.ut* T. Liu. lib. VIII. Dec. IIII. *Enimuero (inquit conſul) ferri iam ludificatio iſta non poteſt. Parum eſt non erubuiſſe abſentem, quum per legatos fruſtrareris, niſi præſens quoq; in eãdem impudentia perſiſtas.* Ius *autem hic pro loco ponitur, in quo iusredditur, appellatiõe collata ab eo quod fit, in eo ubi fit: ſicuti habes* Digeſt. I. Tit. I. De *iure et iuſtitia. Illud, quod non multo poſt ſequitur:* Vt *ludos facit? (ut in tranſcurſu hoc etiã declarem) ſignificat, ut illudit & irridet? Idemq; eſſe uidetur, quod græcis* ἐντρυφᾶν, *id eſt, illudere, & quaſi per laſciuiam & delicias eludere, aut ludibrio contemptuiq; habere: quod et ludificari forſan dicere poſſis. Nã aliâs pro eo quod eſt edere ludos accipitur.* Cicero: Ludos *facere abſens malebat.* Ita *ædiles ludos facere dicuntur: & Scaurus ludos apparatiſſimos magnificentiſſimosq; feciſſe fertur.* AN TV *ubi peregre tibi quod libitũ fuit &c. Manuſcriptum uolumen habet ad hunc modum, Ain' tu, ubi peregre &c. cum quo conſentiunt quædã de impreſſis, eſtq; ea (ut opinor) uerior & ſyncerior lectio.* Tale *omnino eſt illud* Plaut *in Aſinaria; Ain' tu, apud amicam munus adoleſcentuli* Fungare, *uxori excuſes te, & ducas ſenem, Præripias ſcortum amanti, atq; argentum obijcias Lenæ, ſuppiles uxorem clã domi tuam? Sic ſæpe aliâs utitur. Faciunt nobiſcũ editiones* Donati *omnes.* VENIAS *nunc precibus lautũ*

peccatum

peccatū tuū?) Erat in antiquis: *Venias nūc mihi precibus &c. ubi feſtiuitatis gratia τὸ mihi inſertum ſit, ut aliâs ſæpe apud* Terentium: *quale illud, quod proxima ſcena ſequitur:* Qui mihi, *ubi ad uxores uentum eſt, tum fiunt ſenes* Sed uerſus, quô minus ſic legi poſſit repugnat. VEL *oculum exſculpe.)* Nos, *excludc, quo modo ueteres codices omnes, conſentiente* Priſciano: *Et ſic* Plautus *utitur in* Pſeudolo, *quum inquit:* Excludito mihi hercle oculum, ſi dedero. Videntur autē *uerba eſſe, non* Phormionis *(ut habent noſtra exemplaria) ſed (ut uetera)* Demiphonis. *Cohærent enim cum ſuperioribus illis:* Pugnos in uētrem ingere. Quanquā *qui* Phormioni *ea tribuunt, ſic intelligunt:* Etiamſi oculum mihi excluſeris, erit tamen, ubi uos ulciſcar: *Quod ſi cui magis placebit, nihil equidem repugnarim, quin is ſuam ſententiam ſequatur: præſertim quū ſubſcriptorem habeat* Priſcianum *libro* XVI. QVI HERCLE, VBI *ſit, neſcit.* Ch. *caue iſti quidquam credas.)* Hunc *ſenarium parum conſtare, quis non ſtatim ſentiat?* Ego *legendum ſuſpicor, uel refragantibus exemplaribus:* Caue *iſti quidquam creduis. pro eo quod dicimus, credas, quo &* Plautus *identidem utitur. uelut in* Amphitryone: Nunquam *ædepol tu mihi quidquam creduis poſt hunc diem.* Et *in* Captiuis: Neque *pol me inſanum* Hegio *eſſe creduis: Ita duis pro dederis interdum: & hic paulò pòſt:* Dij *melius duint.* Quanquam *apud* Plautum *(quod &* Feſtus *adnotauit) etiam creduas reperitur pro credas.* NAM

Creduis ꝑ credas.

me cum

me cum hoc diſtædet loqui.)Legendum ex antiquis et manuſcriptis : Nam me cum hoc ipſo diſtædet loqui: idem expoſcente carminis ratione. QVI *ſit in re hac ſcrupulus.) Alij, qui ſit, legunt, idq́; interrogatiuè. Manuſcripta exemplaria habent, conſentientibus ex impreſsis uetuſtiſsimis quibuſq;:Qui fuit in hac re ſcrupulus,pronunciatiuè.Vtrum rectius,iudicent alij.*AN *meo merito credo?) Legitur etiã:At meo merito credo:quod & ipſum probè quadrat,ut ſit uidelicet* ὑποφορὰ*,cui ſtatim* ἀνθυποφορὰ *ſubijciatur: Quid ego nunc commemorem ſingillatim &c. cuiuſmodi illud eſt Ciceronis pro Deiotaro:At (credo)hæc homo inconſultus & temerarius non uidebat: Quis conſideratior illo?quis rectior? quis prudentior?Nã at interdũ* ἀνθυποφορικὸν *eſt,itidẽ ut apud græcos* ἀλλὰ*:quod &* ἀλλὰ γὰρ *dicitur,& à latinis át enim. Exempla paſsim obuia.Cæterum* τὸ *credo hîc,ut aliâs ſæpe, ad* εἰρωνείαν *facit:cuius alio etiam loco meminimus.* QVALIS *in hũc fuerim.)Venetum & alia quædam habent : Qualis in iſtum fuerim:ſed diſſentientibus manuſcriptis.* QVID *mihi nunc adfers?quamobrem expectem.)* Nos ex an*tiquis,Quid mihi hîc adfers?&c.quo modo etiam interpres,ut quidem conſentiunt editiones ;* Romana, Veneta,*Argentoratenſis,Moguntina, nè quid de ratione carminis dicam,quæ non conſtat,niſi ſi inuertere dictionũ ordinẽ uelis.*τὸ *hîc pro aduerbio tẽporali hoc loco accipitur,quo modo in Andria quoque,* Hîc *reddes omnia,quæ nunc ſunt certa ei conſilia, incerta ut ſient.*

ut ſient. Eodem modo τὸ ibi. uelut in Eunucho, Ibi cœpit me homo obſecrare. pro tunc. Sic Homerus ἰλιάδος Δ. Ενθ' οὐκ ἂν βρίζοντα ἴδοις Αγαμέμνονα δῖον. ἀντὶ τοῦ, τότε οὐκ ἴδοις ἄν. Interdum & appellatio ipſa loci pro tempore legitur. Terentius in Andria, Quæ nunc non eſt narrandi locus. pro narrandi tempus, ut ibidem Donatus adnotauit. In Heauto. Tu interea loci collocupletaſti te Antiphila. Saluſtius noue & propè inuſitatè in Iugurtha, ad id locorum, pro ad id uſq; tempus dixit: Tamen is ad id locorum talis uir conſulatum petere non audebat. Idem: Poſtea loci Cos. haud dubie iã uictor peruenit in oppidum Cirtham. Nam apud Plautum in Captiuis hoc uerſu: ut adhuc locorum feci, faciam ſedulò: genitiuus locorum feſtiuitatis & iucunditatis cauſſa aduerbio additus uidetur, ſicut in illo: Minimè gentium, pro nequaquam, μηδαμῶς. Veteres hic pronomen i ſimplici, hic aduerbium græca diphthongo ει ſcribere ſolebãt: quẽadmodũ in nonnullis marmoribus ſcriptũ animaduertiſſe ſe teſtatur in Annotatiõibus in Matthæũ Lau. Valla. Quã quidẽ ſcripturæ diſtinctionẽ mallẽ hoc etiámnum ſeculo obſeruari, & illum iam diu exoletũ obliteratumq; ueterũ in alijs pleriſq; uocibus rectè ſcribẽdi morem (ſi quà fieri queat) reſtitui aliquando atq; inſtaurari. Hi ferè ſunt in Terentio à nobis reſtituti loci: quos ne quem prolixitate nimia obtunderem, aut tædio enecarem, ut plurimum notaui tantùm, non explicaui. Nam illa quidem dedita opera ſilentio tranſmiſimus, quæ inuerſa & præpoſtero

Hic aduerbiũ græca diphthongo ει ſcribebant ueteres.

præpoſtero ordine poſita paßim offendi, ſexcenta fermè, quæ nos in ſuum reſtituimus ordinem et locum: ſicuti facilè inter legendum deprehēdet, quiſquis eiuſce rei inquirēdæ ergô Comicum noſtrum breui edendū in manus ſumet. Nec illa ſemper indicauimus, quæ à nobis ſublata ſunt, quum à caſtigatoribus iſtis contra fidem exemplarium & obſeruationem ueteris lectionis addita eſſent: id quod diuinare planè eſt, non emēdare: Sed horum de temeritate & hallucinatione aliorum eſto iudicium. Quòd toties non citra faſtidiū inculcauimus adnotationem Donati, doctorum uel citationem uel enarrationem, manuſcripti exemplaris fidem, præterea carminis rationē: Id mediusfidius haud alia cauſa Lector factum exiſtimet uelim, quàm ut ne ſcrupulus tenuißimus reſidêre aliquis uideretur: neú quis malè credulus ſuſpicaretur nos ingenio fretos et abſq; iudicio aliquid in Terentio immutare auſos: quare una nihil foret impudentius, magis temerarium nihil. Quanquam ſicubi de ratione metri tacuimus, hoc ſibi quiſq; tamen perſuadeat, in his eam ſemper, quæ nos cunque reſtituimus, ad unguem (ut dicitur) quadrare. Quod ad Donatum attinet, ſi quid fortè ſecus quis ſuo in codice, ac nos citauerimus, offenderit: cogitet nos pluribus uſos exemplaribus, et magno adhibito iudicio ex unoquoq;, quod quidem ſynceriſsimū uiſum, & minus aliorum nugis contaminatum, & cui maximè uetuſti codices ſuffragarentur, breuiter quod Donatum referret autorem, id demū ſequutos fuiſſe. Nec

enim quenquam lateat uelim, uideri quædam in Donati commentarijs ſuppoſiticia: quæ etſi titulo Donati ſimplicioribus imponant, aut fucum faciāt: nullo tamē negotio, ſi qui emunctæ naris accedat & ſagacis ingenij lector, ab alijs, quæ germana ſunt, diſcerni poſſunt. Ad hæc pleraque fortaſſe in codice ſuo quis deſiderarit, quæ in meorum aliquo inuenias: quandoquidem in noſtro quoque Romano *exemplari (cuius ſuprà mentio nobis facta) permulta planè, quæ in alijs continentur, deſunt. uelut in* Hecyra *ibidem, quæcūq; ab actus tertij ſcena quinta* Donatus *uſq; ad quarti actus primam ſcenam ſcripſit, deſiderantur: quod quo caſu factum, haud ſcio: ſed magno mehercle emptum cupiam, uti optimus interpres hoc præcipuè loco integer exſtaret.* Verum *de hoc quidē plus ſatis.* Tu *quæſo* IVLI *ornatiſſime, recognitionem noſtram pro tua ſingulari humanitate boni cōſule, nóſque tui ſtudioſiſſimos tibi cōmendatos habe.*

S. D.

Quum recognitionem hanc Terē
tianā, haud ſcio quàm feliciter,
magna certè cura, ſtudio, labo-
re adornaſſem: diu multumq́;,
ecquod tandem ea in publicum
danda facturus operæprecium
uiderer, mecū ipſe deliberabam. Ecce autē hoc ipſum
anĩo agitantē cōmodùm inuiſit, qui tum fortè Dræſ-
da uenerat, mēſe ipſo Decembri, Vir inſigni utriuſq;
linguæ peritia præditus, & uetere mihi familiaritate
coniunctus Io. Vueiſſenſtadienſis, egregius liberalium
artium profeſſor. Huic poſt dictam uiciſſim acceptāq;
ſalutem, recognitionem noſtram ſpectandam exhibeo.
Ne multis. percurrit breuiter ille, probat, ad editionē
hortatur. Paucis poſt diebus, quàm ille Dræſdam re-
uertiſſet (agit enim in aula illuſtriſſimi optimiq; princi
pis GEORGII) mitto libellum uiro cum ſumma inte-
gritate morū inſigni, tum cunctis ijs artibus, quæ ſunt
homine libero dignæ, perpolito Io. Næuio Medico. Is
poſt dies aliquot remittit, hortatur, uti edam, factu-
rus ſtudioſiſſimo cuiq; rem & gratam & iucundam.
Horum uirorum iudicio quum alij quidem multùm, tū
ipſe certè tribuo plurimùm. Igitur quum per utrunq;
iam ipſe quoq; IVLius, homo (ut paucis dicam) laude
maior omni, de dicata ſibi recognitione certior factus
eſſet, nec mihi iam integrum uideretur diutius illam
premere, typographo miſi formulis excudendā. Lo-

cus hic expoſcere uidetur, ut de codicibus antiquis, q̇bus uſi, pauca dicamus. Igitur calamo in membrana deſcriptis uſu ſumus quatuor: è quibus illud, cuius nobis copia facta à nobili clariſſimoq́; uiro D. Gunthero à Bunaw EQu. ſplendidiſſimo, antiquitate cæteris præſtat, literis iam exoleſcentibus uetuſtate, uix ut interdum legere ipſe poſſem. Quo in codice etiam uetus illa ſcribendi ratio paſſim ſeruatur. Verbi cauſa, intellego per e in penultima notatum ſæpe reperias, uelut ibi: Obtūdis, tametſi intellego. & in Heau. Nam prorſus nihil intellego. & in Phor. Sed cenſen' me potuiſſe omnia intellegere &c. Exſpecto addita, quā recentiores ferè omittūt, litera s. ut in prima ſtatim ſcena: Exſpecto quid uelis. In. Heau. At nunc quid exſpectat Syre. Neglegere, et quæ inde inflexa deductáue, per e in ſecunda. In Phor. Se hunc neglegere cognatum ſuum. et in Heau. Quō eius tā negleguntur internuncij. Eodem modo neglegentia. uelut ibi: Quorū æmulari ex optat neglegentiam. & cognatorum neglegentia coacta. In Phor. Nam neque neglegentia tua, neque odio id fecit tuo. Rurſus: Non manebat ætas uirginis meā neglegentiam et cætera. Sic deniq; & neglegens et neglegenter. ut in Andria: Sed ſi te æquo animo ferre accipiet, neglegentem feceris. et Tantámne rem tam neglegenter agere? Conlacrumabat præterea ibidem reperias, ubi nunc ferè collachrymabat. & Inludatis, ubi nos illudatis. Inliberaliter & inliberale facinus in Adelphis, contrà quàm hodie ſcribere aut proferre ſoleā

re ſolemus. In Andria adſinitatem, quod nos affinitatem. in Heau. *adpoſcent, quod hodie ferè appoſcent. Defrudare etiam non defraudare in* Adelphis *& in* Phormione. *Quin paßim etiam adloqui, adſtare, adfuiſſe, item ſemel atq; iterum adlatum, pro quo allatum recentiores. tranſducere, pro quo traducere. conloqui pro quo colloqui. adtēdere item aliquoties, altera præpoſitionis litera non mutata. Sunt & alia ad eundem modum permulta, quæ priſcæ adhuc ortographiæ ibi ceu ueſtigia qualiacunq; uiſuntur & exſtant.* Proximus *huic longo (ſed proximus interuallo) ut mihi quidem uiſum codex in pergamenis deſcriptus è bibliotheca nobilium* Dominorū *ab* Haſſenſtein: *Quem quōdam* Bononiæ *emptum in libraria ſua reponendum curarat* Vir *eximia planè ſingulariq; doctrina præditus, et ſeculorū memoria dignus,* D. *Bobuſlaus ab* Haſſenſtein: *qui ex ipſa uſq;* Græcia, *ipſa ex Aſia optimos quoſque libros undique conquiſitos in* Germaniam *ſecum ad inſtruendam* Bibliothecam *ſuam deportauit. Hic codex hoc uno certè altero illo præſtat, quòd in eo ferè uerſus (ut lex ratioq; carminis poſtulat) diſtincti reperiantur: licet interdum etiam, itidem ut in altero, confuſi. Iam manuſcriptus ille, quem huc miſit* Vir *noſtri ſtudioſißimus* Io. Muſlerus, *ab egregio & erudito iuuene* Io. Hutero *ſibi commodatum, ut erat eleganter ſanè exaratus, ita uehementer paßim deprauatus: Sicut & ille, quo annos ab hinc octo fermè uſi: cuius nobis copiam fecerat* D. Nicolaus Fribergenſis, *homo*

 & do-

et doctus & integer. Profuit tamen Muſleri noſtri co dex haud parũ: id quod locis ſuis non diſsimulauimus. Verùm hoc latêre nolim ſtudioſos, nos ita demum antiquorum fidem exemplariũ ſequutos in hac recognitione, ſi cætera item, uelut carminis ratio, ueterũ Grãmaticorum interpretatio, ſenſus concinnitas, atque id genus alia nobiſcũ facere uiderentur. Nam ſunt in his quoque manuſcriptis, itidem ut in alijs omnibus, innumeri penè loci ita interdum deprauati, ſatis ut mirari non queam. Errori anſam plerunq; dedit uocum ipſarum adfinitas. uerbi cauſa: In Phormionis ſcena ſecunda, ubi nos: Illi in Lemnum ut eſſet, noſtro in Ciliciam: manuſcripti habent, in Siciliam. Rurſus in Eu. Archimenidem, ubi nos Archidemidem. Sic aliâs ſæpe. Quis porrò ingenio & induſtriæ locus, quis iudicio, ſi codices nanciſci liceat uſquequaque correctiſsimos? Quod quidem ut contingat, optandum (fateor) eſt, ſperandũ non eſt. Verùm ut ad exemplaria typis excuſa ueniã, quoties de Veneto loquimur, de eo intelligi uolumus, quod Andreas Aſulanus et Bartholomeus Alexandrinus anno M CCCC LXXX. Venetijs excuderũt. Lugdunenſe (cuius interdum fidem ſequimur) Nicolaus Lycus impreſsit anno M D II. Argentoratenſe Io. Gruningerus M D III. Moguntinũ Io. Schoeffer M D XXI. quod ſanè exẽplar interdũ nos adiuuit. Nec uero, quod ſuſpicari quiſpiam poſsit, uel ad exemplum Venetum excuſum eſt Lugdunenſe, uel ad alterutrum horum Argentoratenſe, nec deniq; uel ad hoc

pror-

prorſus uel ad illa Moguntinum: Id quod res uidelicet indicat, et magna inter ipſa exemplaria, ſi quis cōferat, plurimis in locis diſſenſio: quæ maior omnio eſt, quàm ut uel caſu toties ipſam, uel typographorum incuria ſemper accidiſſe uериſimile uideatur. Semel atq; iterum (credo) meminimus Lipſici, de eo intelliget lector, quod Martinus quiſpiam, homo Francus excudit M D XI. Vſi præterea quodam ſumus: quod haud ſcio, an Argentorati excuſum ſit. Nam nec locus ibi (ut ſit) nec annus dominicus additus erat. Characteres tamen utcunq; agnoſcere uidebar. Erat uero peruetuſtum, & ſic ſatis emendatum. Sumus & alijs pleriſq; uſi, quæ non magnopere iuuerunt. uelut eo, quod Th. Anſelmus Tubingæ, et quod Argentorati Knoblochus impreßit: Nam cætera quid attinet hic cuncta recenſere? Hæc ut breuiter adderem, locus expoſcere uidebatur, quô fidem meam lectori utcunque probarem. Cæterū uos oratos uelim, ſi qui hæc fortè legetis, ſtudioſi, uti meā in caſtigādo optimo autore diligētiam (quod facturos ſpero) boni cōſulatis. Valete.

INDEX

A

Abducere ad nequitiam 99
abducere uerbi uſus 54
abſtergêre interdum ſecundæ coniugationis 58
abundantia præpoſitionis 28
accidere, τὸ προσπίπτειν 121
acta res eſt, pro actum eſt, quod græci πέπρακται 85
adfinitas inter Trochaicos & Iābicos Tetrametros 11
ætatem aduerbialiter poſitum 83 & 138
agitare τὸ ἐξάγειν καὶ παροξύνειν 145
amittere pro dimittere 135
animi quid πληθυντικῶς 123
animos tollere ibidem
ἀντιμίρεια apud Comicos 34
archonidi pro Archonidis 89
aſtu uocabant urbem ſuam Athenienſes 69
ἀσύμβολος, qui latinè immunis 144
at & át enim ἀνθυποφορικῶς accepta, ſicut græcis ἀλλὰ & ἀλλὰ γὰρ 159
audire uerbi conſtructio 27
auceps etiam dici, contra Probi ſententiam 44

B

Bene audire 145
Benignè facere 110

C

Cauſam dicere 106. & 142
cauſari ibidem
cauſificari ibidem
chremi genitiuus 29
ciceronis locus 30 & 73 & 130
clam utrilibet caſui iungitur 91
cœpio uerbum antiquum, unde apud Teren. cœperet in Adelphis 100
conditionem accipere 150
conditionem ferre ibidem

condā

conditionem filiæ quærere ibidem
conditionem inuenire filio ibidem
congruere unde dictum 70
conſueuiſſe uerbi obſcœna ſignificatio 106
conſuetudo ſtupri apud Saluſt. ibidem
conuaſare τὸ συσκευάζεσθαι 137
credo uerbum ironiæ accommodatum ut græcis οἶμαι 65
creduis pro credas 158

D

Dare ſe in pedes 63
dare quæſtioni τὸ ἐκδιδόναι 131
defrudare pro defraudare 134
demenſum τὸ σιτομέτριον ibidem
διαίρεσις figura 15
difficultas pro paupertate 103
Δίκην λαγχάνειν 98
διπλασιασμὸς 14
diuitior comparatiuus 133
donati locus 46.& 48
ducere pro exiſtimare, ut grecis ἡγεῖσθαι 120
ductare uerbi obſcœna ſignificatio 148

E

Ehem particulæ uſus 30
ἐκδιδόναι, pro dedere ad quæſtionem 131
ἔκθλιψις ἀττική 109
elegantia cuius contrarium ſordes 67
emergo actiue poſitum 35
emergor uerbum deponens 36
e non ſemper eliditur 20
enimuero particulæ uſus 157
en unquam pro ecquando 143
ἑπταμηνιαῖοι pueri 124
è re nata 96
ergo παραπληρωματικὸν, ut græcis τοίνυν 153
eſſe fidem, pro credi ibidem
etiam pro adhuc 155
ἐξαιτεῖν pro expoſcere ad quæſtionem 138
excipere τὸ ὑπολαμβάνειν 77

experiri τὸ ἀγωνίζεσθαι 98
expoſcere ad quæſtionem 131
expectare mortem alterius 126
extrarius 150

F

Facere opus 146
facul pro facultas 151
falſus animi 45
fidem deeſſe 154
fidem eſſe pro credi 153
flocci facere 46
floccus ibidem
fugæ ſe mandare 32
fugam capeſſere / petere / facere ibidem

G

Gracilæ nominatiuus pluralis à ſingulari hęc gracila 48

H

H aſpiratio nonnunquam uidetur obtinere uim conſonantis 21
habere pro eſſe, ut græcis τὸ ἔχειν 100
hæc pro hæ τῶ ἀρχαϊσμῶ, nominatiuus pluralis 54
hærere in parte aliqua apud Thaidem 71
hem particulæ uſus 30
herè pro heri 50
hic aduerbiũ græco diphthongo a ſcribebant ueteres 160
hîc uiciniæ 135
hic temporale aduerbium 159
hiſce nominatiuus pluralis antiquus 45
huc uiciniæ 135
humanitus, pro eo quod eſt, humano more 75
hymenæus 112
hypermetri uerſus 14

I

Iambici genus duplex 10
iăm diſſyllabum nonnunquam apud Comicos 112
ibi temporale aduerbium, ut græcis ἔνθα 160

illhic

illhic pro ille 43
illî pro ibi 135
illuuies, græcè ἀλουσία 67
immunis, qui græcè ἀσύμβολος 76
impune habere pro inultum auferre 63
impurus pro improbo 27
infimus 52
ingluuies 67
ingratijs 80
ingraueſcere cuius contrarium remittere 63
in manu eſſe 123
I, non ſemper eliditur ſequente uocali 20
inſiſtere uerbum cum infinitiuo iunctum 122
inſiſtere uiam 46
inſtare uiam ibidem
inſomnia ἐννυχῶς poſitum pro uigilia 43
integrare uerbum, à quo integratio 35
intellego per e ſcriptum in penultima 114
inultum ferre, pro impune habere 36
ipſus pro ipſe 59
iſthic pro iſte 43
iurandum pro iuſiurandum 39
ius pro loco, in quo ius redditur 157

L

Liberalis 156
l, interdum elidi uidetur apud Terentium in pronomine ille 13
locus ex Pandectis 137
locus pro tempore 160
lucani locus 24
lucto pro luctor τῶν ἀρχαίων 131
lucu pro luce apud ueteres 109
ludos facere τὸ ἐντρυφᾶν 157
ludos facere pro edere ludos ibidem

M

Magnificare pro magnifacere 110

malè

male audire, quod græci κακῶς ἀκούειν 145
marcellini locus 24
mauolo pro mâlo 125
me indulgeo pro mihi 43
metra quibus Comici utuntur 10
m non ſemper καθ' ἔκθλιψιν eliſum apud ueteres 15
modi enallage 32.45.56.& 124

N

Næ pro certè uel profectò 105
negatio uacans more græcorum 26
negatiuæ duæ, pro una 26
neq; pro & non diuiſis ibidem
neruos extendere intendere contendere 48
ni pro ne 20
nullus pro minimè κατὰ ἀναμίξεως 29
numerus pro exiſtimatione & autoritate 72
nunquidnam, pro quid 26

O

ὀκταμηνιαῖοι pueri 125
Opera pro ipſis munitionibus 147
in opere eſſe ibidem
operio, cuius contrarium comperio 127
operum militarium immunes 147
opus facere 146 Oratij locus 24
oraui tecum, ἀρχαϊσμός 129
oſtentum pro oſtentatum 55.& 154

P

παρέλλειψις figura 13
parere pro acquirere uel comparare, ut parere diuitias in Andria 40
particulæ ſuperuacuæ 29
pedes Iambici carminis 20
perculſit præteritum an uſquam reperiatur 23
percuſſi, etiam ad animum referri poſſe 24
pertendere 43
phaleræ, quæ græcè φάλαρα 149

phale

phalerata dicta
philúmena ante penultimam acuit ibidem
φυόμενον πρᾶγμα 121
plurimum pro plærunq;, ut græci τὸ πλεῖστον 96
poetam interdum de induſtria ſententiam genere ipſo 137
metri iuuare
poſt illa pro poſtea, quod græci μετὰ ταῦτα 11
poſtremùm aduerbium, quomodo græci τὸ ὕστατον 145
poſtulare τὸ ἐξαιτεῖν 85
poteſſe infinitiuus antiquus 131
præſtans animi 45 procceleuſmaticus 56
prodere, pro eo quod eſt proferre, prolatare 10
proínde pro périnde 28
prolixe pro liberaliter & benigne, καὶ ἀντὶ τοῦ ἐκτενῶς 147
prologus apud Terentium prima longa 73
prolubium, quod græcè προθυμία 16
pro, more græcorũ aliquando in cõpoſitione corripit 113
propino interdum prima producta legitur 16
protelare 73
puera fœmininum 138
puere uocatiuus 22
puer pro filio, ut græcis παῖς ibidem
Q
Qui corripitur ſequente uocali nulla facta colliſione 32
Quis apud ueteres commune eſt nonnunquam duorum 19
generum, ſicut apud græcos τίς
quod pro καθ' ὅτι uel καθ' ὅσον 95
R 80. & 136
Remittere, cuius contrarium ingraueſcere
res nata, quod græci φυόμενον πρᾶγμα 121
rurſum prorſum 96
S 120
Scitus puer quem græci ὡραῖον
ſic particulæ elegans uſus 32
ſiet pro fit 41
ſi pro an, quo modo græcis εἰ 72
Σιτομέτριον, quod latini demenſum 53
ſiue, pro uel ſi 134
26

ſ lite-

s litera apud Comicos eliditur interdum 11
ſordes 67.& 79. ſordidatus 78
ſordidus ibidem ſpe decidere 85
de ſpe decidere ibidem à ſpe decidere ibidem
ſpem oſtentare 154
ſperare pro timere κατὰ ἀκυρολογίαν, ut Græci ἐλπίζειν 30
ſtare ab aliquo, & ſtare cum quopiã, quod Græci πρός τινος εἶναι 141
st interiectio ſilentium innuentis 152
ſuppeditare abſolutè pro ſuppetere 72
ſuſcipere τὸ ὑπολαμβάνειν 77
ſuſpectare pro ſuſpectum habere 33
ſuſpectio pro ſuſpicione ibidem
ſuſpiciens apud Saluſt. pro ſuſpectum habens ibidem
ſuſpicio interdum uidetur apud Terent. antepenultimam producere ibidem
Συναίρεσις figura 15 συναλοιφὴ ibidem

T

Te cupio 53 thenſaurus pro theſaurus 42
tranſdere pro tradere 132
tranſducere pro traducere 111.& 133
trochaici pedes 11 Θυμός 124

V

V conſonans in medio dictionis eliditur 14
uirgilij loci aliquot 77
uolup pro uolupe 151
uultum fingere 86

FINIS.

Colu.10.lin.4.à fine, lege χωλίαμβον.
Colu.63.lin.19.lege Βυναυ EQu.

A01 1465344